

XXXII. De an, num et nunquid, de ne.

[1] Verumenimvero de *an* dici potest quod Laurentius et ego sequens eum dicimus libro II^o, capitulo XVII: «Quod *an* et *aut* coniunctiones sint, sed iuxta Quintiliani sententiam (5, 7, 11) non in *aut* sed in *an* consistat interrogatio, quod et de *ne* dici debet. Et aliquando in uniuersum interrogatio duplex est, ut *esne tu stoicus aut epicureus aut academicus?* Nam est supplendum *an non*. (2) Et hoc quando interroganti te philosophum esse non constat, aliquando ad singulas particulas binae interrogationes sunt, ut *es tu stoicus? an epicureus? an peripateticus?* Cum enim quaero *an stoicus*, subintelligitur altera interrogatio *sic an non*. (3) Item *esne epicureus an non?* Et hoc quando constat interroganti te philosophum ex aliqua harum sectarum esse, sed cuius sis ignorans, de ipsa interroget. Hinc consequens est dicere non in *aut* sed in *an* et *ne* interrogationem esse, et contrariorum quidem, qualis non est illa *quid dicam aut quid faciam? quid dicam aut quid non dicam?* Inter haec non ambigimus sed ipsa ambo simul ambigimus, secus in illo, *abeam an maneam?* (4) De duobus ita quaero *ut utrum mihi faciendum et utrum non faciendum sit dubitem*. Ideoque non solum interrogando sed citra interrogationem quoque utimur *an* ubicunque aliquid contrarietatis inest, ut *dubito an uiuat pater an mortuus sit*. (5) Et in maiori numero *nescio an pater sit Romae, an ualeat an uiuat an uenturus ad me sit*. (6) Muta uerbum dubitationis inscientiaeque in aliud uerbum dissimile, sic: *scio an uiuat pater an mortuus sit*, male locutus es, bene autem *nescio an uiuat pater an mortuus sit*. Itaque uerbis huius dubitationis et inscientiae cum *an* subiunctiuum damus, uerbis uero opinionis et scientiae indicatiuum cum *quod* et *aut* hoc modo: *opinor uel scio quod pater aut mortuus est aut grauior aegrotat*».

[2] Quod de *an* praeceptum sit, hoc quoque de *ne* praeceptum esse putetur, quae plerunque una solaque et semper in parte prima collocatur, ut *bonus ne uir est an malus*. Aliquando cum *socia*, sed id saepius apud poetas, ut Virgilius (*Aen.* 1, 308-309): «Quaerere constituit teneant qui, hominesne feraene»; (2) saepe hoc modo, *illuc eam necne ignoro*, hoc dubitatiue, interrogatiue quoque, ut *Pro Flacco* Cicero (2, 4): «Vtrum uultis praetori Flacco licuisse necne?» *Licuisse ac non?* Quidam superuacue addunt alterum *an* sic, *nescio an beneficiam an non, uel nec ne*.

[3] Quidam uero errant in *aut*, non uidentes in quo ab *an* differat, ita quidam in *uel* faciunt poni putantes pro *an*, id est interrogatiue et dubitatiue siue ignoratiue.

[4] Priscianus de *ne* in XVI^o (16, 5) multa ponderanda commemorat, nam de casibus adiunctiuus coniunctionibus docens ait: «*Ne* quoque, quando *name* (= gr. $\nu\alpha\ \mu\eta\ \omega$) significat, coniunctionem causalis, ut Virgilius in II^o *Aeneidos* (2, 187-88):

"Ne recipi portis aut duci inter moenia possit
Neu populum antiqua sub religione tueri",

et nota *ne* quoque et *neu* hic pro copulatiuis esse coniunctionibus. (2) Inuenitur etiam *ne* pro *neque*, quae copulatiua est coniunctio. Sub una enim abnegatione copulat res diuersas, quomodo et *nec*. Et proprie causales sunt, quae causam antecedentem, causatiuae, id est res ex causa antecedente euenientes significant, ut *doctus sum, nam legi*».

[5] Paulo post, de abnegatiuis praeciens subiicit (16, 11): «Abnegatiuae sunt apud Graecos *ke, ne, te, an*,¹ quae uerbis coniunctae posse fieri rem ostendunt, sed propter causam aliquam impediri ne fiat. Nos autem sine coniunctionibus subiunctiuus utimur uerbis in huiusmodi sensibus, ut *fecissem, si potuissem, et gaudeat Priamus, si audeat*. (2) Et infra: «Dubitatiuae sunt quae dubitationem significant, ut *an, ne* correpta, *necne*, Virgilius in III^o *Aeneidos* (3, 39):

"Eloquar an sileam? gemitus lacrimabilis immo";

idem in I^o *Aeneidos* (1, 329):

"An Phoebi soror an nimpharum sanguinis una";

¹ Ferrarius quattuor coniunctiones legit: *ke, ne, te, an*, quamuis apud Priscianum duae tantum reperiuntur: '*ken* et *an*', (id est '*ten* et *an*'), an culpa codicis Prisciani quem Ferrarius habebat, an ipsius Ferrarii sit nescimus

idem in XI° (11, 126):

"Iusticiaene prius mirer belline laborum?"

(3) Frequentissime tamen eadem interrogatiuae sunt, Virgilius in IIII° *Aeneidos* (3, 319):

"Hectori, Andromachae, Pirrhin connubia seruas?";

idem in X° (10, 668):

"Tanto ne crimine dignum?"

Haec eadem inuenitur pro affirmatiua, ut Oratius in II° *Sermonum* (2, 3, 97):

"Clarius ei fortis, iustus, sapiens, ne etiam";

Terentius in *Andria* (885):

"Necne demum istud uerbum in te incidit".

(4) Hic enim *ne* coniunctio nec interrogatiua nec dubitatiua sed confirmatiua est; Virgilius in X (10, 816-17):

"Tantane me tenuit uiuendi, nate, uoluptas
ut pro me hostili paterer succubere dextrae",

est enim pro *etiam*. Sola haec apostrophan accipit apud Latinos. *Necne* quoque pro *anne* accipitur, ut *sit sensus in mortem necne prodest recte uiuere*.

[6] De *ne* uero super illa apostropha *uidén, satín* et huiuscemodi, Priscianum Petrumque Heliae super primo maioris (1, 40) nota, sic dicentes: «-s- quidem *ne* coniunctione sequente cum apostropho, -s- penitus tollitur, ut *uidén, satín*. Apostrophus autem uirgula recurua est, quae -n- superscribitur, quando -s- dempta sequente -e-, semiuocalis -n- quae praecedebat, illi uocali coheret, quae ante -s- prius erat, demptaque eadem -s-. (2) Ideoque ut designetur -n- ad illam -e- apostrophari, id est conuerti, ipsa uirgula recurua supponitur. Et *uidén* et *satín* duae partes sunt, sed neutra integra prolata est, uerumtamen prolatae sic, scilicet cum apostropho, interrogatiue ponuntur. *Vidén* ergo non una pars sed duae sunt, scilicet uerbum secundae personae et *ne* coniunctio, sed quorum neutrum integrum prolatum est, ut fuit expressum».

[7] Idem Priscianus in XV, carta penultima (15, 32) , ubi de aduerbiis dehortatiuis sic ait: «Dehortatiuum est, ut *ne*, hoc etiam accipitur pro *neque* et pro *ualde*, et cetera».

[8] Idem in XVI, carta penultima (16, 10), ubi de aduersatiuis: «*Ne* quoque per *saltem* inuenitur, Salustius in *Catilinario* (11, 8): "Quippe secundae res sapientum animos fatigant, ne illi corruptis moribus uictoriae temperarent". Inuenitur etiam in hac significatione *nec* et *neque*, ut *nec unam horarum auarus negligit lucrum neque pius iusticiam*».

[9] Petrus Heliae in eodem XV°, carta 3^a (Reilly 779), adiiciendo Prisciano (15, 10; 15, 32), dicit: «*Ne* quoque ponitur inter aduerbia primitiua terminata in -e- correpta, quod fit quando est aduerbium interrogandi uel affirmandi positum pro *certe*, quando enim *ne* dehortatiuum est, producitur, inuenitur etiam *ne* pro *ualde*, ut apud Terentium (*And.* 772):

"Ne illa illum haud nouit".

[10] Laurentius Vallensis et ego sequens eum, libro VI, capitulo XXVIII°, iuxta Quintiliani sententiam dicimus *ne* pro *ualde* allegamusque Terentium, ut et Petrus Heliae allegauit, subiicimusque *ne* apud nos significare quod apud Graecos scribique cum diptongo *nae* debere, quod est *certe*, ut apud Terentium (*And.* 17):

«Faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant?»,

quasi faciunt *profecto*. Haec apud Ciceronem frequens est dictio, apud Quintilianum ceterosque eius aevi rarissime. (2) Nec omittendum est *nae* diptongatam pro *ualde* uel *certe* sic apud Latinos sicut apud Graecos breuiari, id quod Tortellus Aretinus attestatur. Nam dicit et Seruius (*Aen.* 8, 428): «*Ne* pro *ualde* et *utique*, Terentius in *Adelphis* (*And.* 338):

"Dii boni, ne illiusmodi iam nobis ciuium penuria est."»

[11] Ioannes uero in suo dicit *Compraensorio*: «*Ne* si praeponitur aduerbium dehortatiuum est et accipitur pro *neque* et pro *ut et non* et pro *ualde*, et si postponitur coniunctio est enclitica, ut *uidesne*. Item aduerbium prohibendi, ut *ne facias*. Item *ne* ponitur pro *nunquid*, ut *fecistine? Ne* aduerbium corripitur, coniunctio producitur».

[12] *Catholicon* uero refert: «*Ne* secundum quosdam ratione orationis interrogatiuae est coniunctio enclitica, ut *uide ne feceris* et hoc in communi uidetur». Priscianus tamen dicit in XVI libro (16, 5): «*Ne* postposita est coniunctio, praeposita uero est aduerbium». Et scias quod *ne* non componitur

cum uerbo, quia nulla coniunctio componitur cum uerbo nec etiam cum nomine, nisi *si* et *ne*, ut *siquis*, *nequis*».

[13] Laurentius tamen Vallensis ait dicto capitulo XXIX^o, libro VI^o: «*Ne* componitur cum *queo*, cum *scio*, cum *uolo*, frequentius tamen sine compositione, apposita negatione reperimus, illud primum quam duo sequentia, adeo barbarum puta Cicero dicere *non scio* et *non uolo*, licet non nunquam apud ipsum quoque reperiatur. Ideo frequentissime legimus *haud scio*, *haud uelim*».

[14] Ego uero ex antedictis aliisque passim inuentis aio *ne* causalem et adiunctiuam coniunctionem esse etiamque *neu*, et *ne neuque* copulatiuas esse coniunctiones. *Num* et *an* abnegatiuae sunt. Item *an* et *ne* dubitatiuae sunt. *Nae* quoque confirmatiua est. *Necne* quoque pro *anne* et *ne* apostrophata repperitur ut *niden* et *satín*. (2) Item *ne* dehortatiuum est et *ne* pro *ualde* et pro *saltem*. Et *ne* pro *neque* et pro *ut et non* et pro *nunquid* accipitur, et prohibendi est aduerbium, ut *ne pecces*. Enimuero *ne* pro *an* seu enclitica coniunctio et pro *utique* uel *ualde*, licet et in his duobus significatis diptongata sit, breuianda est. In aliis uero significatis producenda. (3) Vnde *Doctrinalis* dicit (10, 2.116):

«Et *ne* ni dedit *an* produc fermeque fereque»,

et ibi a me scripta uideatur. Et quod Tortellus in *nae* scribit. Et ego in eo libro VI^o, capitulo XXVIII, adieci. (4) Tandem adiiciendum puto quod Laurentius et ego in *Elegantiiis* libro II^o, capitulo XVII^o circa finem dicimus: «*An* et *ne* coniungi solent pro *an*, quod magis poeticum est. Et sine interrogatione durum uidetur, quia per interrogationem quiddam urgentius et instantius in hac geminatione *anne* quam in illa simplicitate *an* inuenitur, ut ex aliis compositis elucebit (Verg. *Ecl.* 2, 14-15):

"Nonne fuit satius tristes Amarillidis iras

atque superba pati fastidia? Nonne Menalcam?"

(5) In hac interrogatione non id agitur, ut respondeas nescienti, sed cogaris assentiri scienti. Nec alia uis orationis est, quam si diceres *annon*, quod magis urget quam *solum non, licet et hoc solum* pro illo composito accipi soleat. Alia composita, si modo composita haec sunt, *itane*, *ergone*, quae interrogando responsione non poscunt, sed assensum extorquent».

XXXIII. De aut, uel et -ue.

[1] Satis de *num* et *nunquid* et *an* et *ne* et *anne* et *nonne* compositis et *non solo* dictum est, de *aut* et *uel* et *ue* et *sine* dicatur, cum magna inter ipsa uideatur conuenientia et unum pro alio poni uideatur. Non igitur *aut* et *uel* pro *an* uel *ne* accipiantur, in quo non nulli errant. (2) Priscianus enim in XV^o, carta 4^a (15, 18), ubi de aduerbiis in *-l-*, sic ait: «*Vel* etiam coniunctio pro *ualde* frequenter inuenitur, Cicero *Pro Murena* (14, 31): "Vel maximum bellum populo Romano cum rege Antiocho gessisse"».

[2] Idem in XVI^o (16, 7), ubi de disiunctiuis scribit: «Quod *uel* subiunctiua etiam est et ponitur pro *etiam*, Terentius in *Eunucho* (397):

"Vel rex semper maximas
mihi gratias agebat",

pro *etiam agebat rex* et cetera. (2) Inuenitur etiam *uel* coniunctio diminutionem significans, ut Lucanus in VII^o (7, 29):

"O felix si te uel sic tua Roma uideret",

ubi Petrus Heliae dicit (Reilly 823): «*Vel* posuit pro *saltem*».

[3] Idem Priscianus in primo minoris, uersiculo *Coniunctiones* (17, 11), sic ait: «Coniunctiones quoque copulatiuae et disiunctiuae esse dinoscuntur ab illis partibus orationis quae eis sociantur. *Vel* et *aut* non solum disiunctiuae sed etiam copulatiuae reperiuntur, ut Terentius in *Eunucho* (397):

"Vel rex semper mihi maximas
gratias agebat, quicquid feceram";

Virgilius in 4^o *Aeneidos* (4, 62):

"Aut ante ora deum pinguis spaciatur ad aras",

aut pro et. (2) *Quae* etiam non solum copulatiua sed etiam disiunctiua inuenitur, ut Virgilius II^o *Aeneidos* (2, 36-37):

"Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
praecipitare iubent subiectaque urere flammis",

-que pro uel. (3) Nec non etiam aliae pro aliis partibus accipiuntur, neque id aliter possumus scire nisi ex adiunctis, ut *per* si uerbo apponatur pro *ualde* accipitur, id est loco aduerbii, necnon etiam si nomini adiungatur sub eadem intentionis significatione, ut Terentius in *Eunucho* (468):

"Perpulchra credo dona aut nostris similia"».

(4) Ideo *Catholicon Compraesorium*que dixerunt: «*Vel* aliquando coniunctio disiunctiua est, ut quando inter diuersa cadit, quae simul esse non possunt, ut *homo est rationalis uel irrationalis*. Aliquando est subiunctiua coniunctio, ut quando inter duo ponitur, quae simul uera sunt, ut *amauerunt uel amauere*. Et pro *saltem* collocatur».

[4] *Ve* magis ad *uel* quam ad *an* accedit, ut *duobus tribusue*. Raroque nisi adiuncta *si* geminatum reperitur, ut *sine hoc sine illud*. Aut adiuncta *ne* pro *ut non*, Quintilianus (8, 6, 15, 4): «Cauendum etiam neue sit maior tractatio quam oporteat»; (2) Lucanus (1, 125) sine compositione aliqua:

«Nec quenquam iam ferre potest Caesarue priorem
Pompeiusue parem»,

id est non potest iam aut Caesar superiorem ferre aut Pompeius parem, ut in his Laurentius Vallensis optimus, libro II, capitulo XVII, uersiculo *Ve magis accedit*, testis est, quem in meo *Elegantiarum Breuiario* sequor, libro et capitulo eisdem.

[5] Porro secundum *Catholicon uae* dolentis uel execrantis uel maledicentis est aduerbium, ut *uae illi per quem scandalum uenit*. Item *uae*, id est *sine*, unde *uesanus* per compositionem secundum Hugutionem. Insuper *-ue* enclitica est coniunctio et pro *uel* ponitur.

[6] Et tunc secundum *Compraesorium* haec commemorans semper postponitur.

[7] Aegidius quoque capitulo XXVII° dicit: «*Ve* pro *uel* enclitica est coniunctio. *Vaeb* autem pene aeternae comminatio non sumitur enclitice, et ita *Prouerbio* XXIII° (23, 29) accipitur, ut "Cui uae, cuius patri", ut supra penultimam sit accentus, cum non coniunctionaliter sed interiectionaliter intelligendum sit. Et hoc per id quod in *Bibliis* correctis est patet. Et *uaeb* in hoc loco per aspirationem scribitur, quod non fieret si esset coniunctio». (2) Ego tamen in huiusmodi dubito scriptura, quippecum nullibi nec ita praeceptum nec scriptum repperim. Quin immo Festus Pompeius (379) dicat: «*Vae* uobis dicebatur ab antiquis, et in *nobis*», et ita in *Alfonsina* continetur.

XXXIV. De siue et seu.

[1] Vt autem huiusmodi coniunctionum, praesertim *siue* et *seu*, materia plenius cognoscatur, ad maiorem rei explanationem et apertissimam ante oculos collocationem, in fortissimum adiicio argumentum id ipsum meum *Consilium*. *An in illa oratione "Promitto bladum accapiti siue iuris Castri uel siue Castri et concedo in accapitum siue emphiteosim"*, hoc coniunctio *siue* disiunctiua uel subdisiunctiua sit dicendam. (2) Et quid de dictione *seu* et multis aliis coniunctionibus sit tenendum; ibi nanque sic dico copiose: «De coniunctione *siue*, quod disiunctiua sit, textus Prisciani in XVI maioris est (16, 7): "Disiunctiuae -inquit- sunt quae, quamuis dictiones coniungant, sensum tamen disiungunt, et alteram quidem rem esse, alteram uero non esse significant, ut *ue, uel, aut*, ut Virgilius in VII (*Aen.* 7, 199):

'Siue errore uiae seu tempestatibus acti',

ut *uel dies est uel nox*".

(3) Item ad hoc facit *l. Quod si seruus*, § I, ff. *De in rem uerso*. (D. 15, 3, 3) Denique Bartolus in *l. Si is qui ducenta*, § *Vtrum*, co. III°, ff. *De reb. dub.* (D. 34, 5, 13, 3)».

[2] Quod autem *siue* subdisiunctiua sit, in antedicto XVI Prisciani libro (16, 7) confirmatur, ubi in subdisiunctiuis ait hoc modo: «Subdisiunctiuae sunt quae uoce disiunctiuarum utrunque tamen esse significant, uel simul ut copulatiuae, uel discretiae. Simul, ut Terentius in *Eunucho* (397):

"Vel rex semper mihi maximas
gratias agebat",

pro *etiam* agebat rex; idem in *Phormione* (989):

"Vel oculum excludito, est ubi uos ulciscar locus";

(2) et *Alexander siue Paris*, pro *Alexander, qui Paris dicitur*. Similiter *Mars siue Manors, Gradinus uel Maspiter, praesul est bellorum*. Discretiae utrunque tamen esse significant, ut *tota die uel legit iste uel cogitat*; significat enim et legere et cogitare, sed non simul utrunque facere, sed aliis horis legere et aliis cogitare».

[3] Et de huiusmodi coniunctionibus disiunctiuis et subdisiunctiuis uide expositorem antiquum, Petrum Heliae (Reilly 821) expositoremque modernum super eo XVI maioris libro.

[4] Deinde quod in casu nostro *sive* subdisiunctiua sit, textus est nobilis in *l. Ad protegendam, C. De in litem dan. tu. uel cura.*, ibi (C. 5, 44, 3): «Ad protegendam causam tutor siue curator datus».

[5] Item ibi, Accursius (C., 5, 44, 3) super uerbo *sive curator*, sic notanter ait: «Subdisiunctiue ut *ibi Alexander siue Paris*, nam tutor certe rei dari non potest, ut nota supra †». Igitur Accursius hanc latinitatem intellexit, licet nonnulli in eum super his saepenumero inuehantur.

[6] Posthac ibi doctores uide, inter quos Bartholomeum Saliceti sic dicentem inuenio: «Nota ex glosa prima quod dictio *sive* non est simplex et mere disiunctiua, quando ponitur inter incompassibilia. Ideo stat declaratiue et correctiue».

[7] Insuper in *l. Cum quidam, C. De uerbo. sig.* (C. 6, 38, 4), non modo quoad praedictas coniunctiones, sed etiam copulatiuas et ad naturam coniunctionis *seu*, cuius officium potissimum ampliandi sit per *l. Siquis ita, ff. De aur. et ar. le.*, ibi (D. 34, 2, 30): «Hoc enim uerbum *seu* ampliandi legati gratia positum est», Cynus, Bartholus, Baldus, Angelus, Salicetus, Franciscus de Ramponibus et Pontanus uideantur.

[8] Praeterea Bartholus in dicta *l. Si quis ita*, sic pernotanter et conclusiue dicit: «Quaedam est disiunctiua pura et simplex, id est quae tam sensum quam uerba disiungit, ut dictio *aut* aut dictio *uel*. (2) Quaedam est dictio disiunctiua non simplex, sed habet aliquam naturam copulatiuae, ut dictio *seu* et dictio *sive*, quae licet disiungat uerba, sensum tamen coniungit, ut cum *dicitur Alexander siue Paris*, ut probat textus in *l. Ad protegendam, C. De in litem dan. tu.* (C. 5, 44, 3): "Et isto modo accipitur dictio *seu*"; infra, *De mueri. et oneri., l. finali, ff. § Sunt munera*, ibi dum dicit *ciuilia seu publica*. (3) Ita potest intelligi *l. I, ff. de his quibus ut indig.*, ibi (D. 50, 4, 18, 29): "De legato seu fideicomiso quod hodie idem est". Et ista est disiunctiua non simplex, quae fauore legati accipitur pro coniuncta et auget, ut hic». Et ita uoluit dicere Cynus: «Et quod ita sit de dictione *seu* quando tractatur de ampliando legato, est casus in *l. Cum quis, § finali, supra, De uel, III.* (D. 34, 9, 1) (4) In aliis uero dispositionibus dicerem quod dictio *sive* uel dictio *seu* accipiatur disiuncte sicut dictio *aut*, ut dictis legibus, et probatur in dictione *sive* in *l. Siquis ita stipuletur, De uer. obli.* (D. 45, 1, 63)».

[9] Postremo pernota circa ista textum, glosam et doctores in *l. Si is qui CC, § Vtrum, ff. De reb. du.* (D. 34, 5, 13, 3), quae, ut et multa alia, sine bono grammaticae et dialecticae fundamento percipi non possunt. Et ideo de non nullis legistis surrideo, qui male fundati et nihil parum de artibus scientes, dicant artes legibus non proficere sed obesse, quam quidem rem suae ignorantiae colorandae causa profundunt, nam potius summum adiuuentum praestant, id quod ego in me ipso sum expertus. (2) Ad haec facit quod Laurentius Vallensis *De elegantius* libro III^o, in prohemio, sic dicit egregie: «Nomina sunt eorum et nimis nota nomina, ut superuacuum sit ea per me recensui, qui uix quantam partem iuris ciuilibus intelligunt. Et ob imperitiae suae uelamentum aiunt non posse doctos iuris ciuilibus euadere facundiae studiosos, quasi iurisconsulti illi aut rustice locuti sint, id est istorum more, aut huic scientiae non plane satisfecerint. Eapropter non abs re Cicero in *Rhetorica ueteri*, libro 10 (*De or.* 1, 197), ait quod eloquentia pars iuris ciuilibus est. (3) Eloquentia uero sine perfecta Grammatica etiam quo ad omnes quattuor partes suas et sine aliquali Logica, cuius Rhetorica consecutiua est, ut Aristoteles in principio *Rhetoricorum* dicit, haberi non potest. Enimuero communis morbus hominum non modo prorsus ignarorum, sed etiam sciorum, id est aliquantulum doctorum est, ut omnia illa, quae nesciunt, uituperent, quae per id non minoris faciendae sunt. (4) Nam huiusmodi uituperatio falsa est, et duntaxat ad propriam inscitiam inuelandam et ad excellentiam multa uariaeque scientiarum minuenda tendit, ut doctissimus et eloquentissimus Plato in *Gorgia* (?) testis est egregius. Et enim quid laudabilius, quid praestantius, quid denique admirabilius dari potest quam multas et uarias scientias uel mediocriter attigisse et circa illas intellectum uersatilem habere potuisse? (5) uerumenimvero si multi uisi sint, qui in artibus et non in legibus praefecerint, et licet dum artibus operam darent, multam gloriam compararent, cum autem ad iura se transtulerint, potius derisiones passi sint. Hoc tamen non ex ipsis artibus, sed ex naturae praecisset repugnantia, quae hos ad hanc scientiam, illos ad illam finxit idoneos. Enimuero si cui natura ad multas scientias aptitudinem dederit, et ille in his multis elaborauerit, egregius admirabilisque euadet, et ita multis inuidiosus erit». (6) Vt autem eo unde digressa est nostra redeat oratio. Inter alios doctores Bartholus in dicto § *Vtrum* (D. 34, 5, 13, 3), circa materiam, de qua agitur, multa praeclara dicit, inter quae illa in collatione 3^a notanda oro: «Quaedam est disiunctiua, quae tam sensum quam uerba disiungit, ut *aut dies est aut nox*». Idem in dictione *uel*: «Quaedam est disiunctiua, quae uerba disiungit, sensum tamen coniungit, ut *Alexander siue Paris*. Idem enim fuit sic nominatus». (7) Et de hoc habes expressam regulam in Donatello et *C. De in litem dan. tu., l. Ad protegendam* (C. 5, 44, 3),

ubi notatur: «Idem in dictione *seu*, quae eandem propriam habet significationem secundum Priscianum», et sic ponitur *l. finali*, § *Haec inuenta, De muneri. et oneri.* (D. 50, 4, 18), et infra *De his quibus ut indig., l. I* (D. 34, 9, 1): «Vnde cum lego mulieri ornamenta seu quae eius causa parata sunt, coniuncta est quo ad sensum et utrunque debetur». (8) Nec ob *l. I*, § *Sublata, ff. Ad Trebel. et insti. qui da. tu. po., § Certum tempus* (D. 45, 1, 63), quia ibi ponitur improprie, quia natura orationis hoc non patitur, sed hoc uidetur contra *l. Si ita quis stipuletur*, infra, *De uer. obli.*, dicit ergo quod propria significatio huius uerbi *seu* uel *sine* est prima. Et fauor legatorum hoc operatur. Alias tamen istas coniunctionibus abutimur aequaliter. Ideo fit in una quod in alia. Et licet multa alia possem adducere, tamen his uolui esse contentus.

XXXV. De coniunctionibus, praesertim copulatiuis.

[1] Ceterum, qui plene naturam coniunctionum non modo disiunctuarum subiunctuarumque, sed etiam coniunctuarum aliarum diuersarum specierum perspicere uoluerit, in XVI° Priscianum et ibi commentatores legat, et Laurentium non tantum in praelegatis locis, sed et libro II°, capitulo VIII°, *De et, ac, atque, -que* cum suis compositis, et hic in meo *Elegantiarum breuiario*, ubi etiam de coniunctione in genere eiusque speciebus potestateque secundum Priscianum (16, 2) tracto. (2) Vbi exponitur: «*Et cum -que* multifariam accipi, sed et sua componit negatiua *neque* et per apocopen *nec*. Nam *et et -que* pro *quia* comperimus et interdum sed diuersis in rebus uenustius duplicantur, ut *te admirant et ciues et hospites*, Virgilius (*Aen.* 1, 229):

"O rex hominumque deumque",

id est *o rex et hominum et deorum*. Rarum tamen in prosa, in carmine uero frequentius. (3) De *nec, neque sine* similibusque geminatis multa reperiuntur exempla. Et quoque sententiarum competit iniciis, Quintilianus libro I°. Et finitae quidem sunt partes, quas haec professio pollicetur, quam naturam *ac et atque* sectantur. *Que* etiam pro *quam* quandoque ponuntur». (4) Nam et Priscianus in XVI° attestatur (16, 2): «Ac non solum per *et* sed etiam per *quam* accipitur, Virgilius 3° *Aeneidos* (3, 236):

"Haud secus ac iussi faciunt";

Similiter *atque* Terentius in *Phormione* (31):

"Non simili utamur fortuna atque usi sumus".»

(5) Idem Priscianus primo minoris (17, 11) ait: «*Atque et ac* si aduerbio *aliter* uel *secus* subiungantur, uim aduerbii obtinent, ut Virgilius III *Aeneidos* (3, 236):

"Non secus ac iussi faciunt".»

Interdum etiam et seruit affectui, ut Cicero *Pro Milone* (91): «Et sunt qui de uia Appia loquuntur, taceant de Curia?». (6) Interdum *neque copulam neque affectum* significat, ut si dicam *superavi illum in palestra, et est tam uastus* uel *et sum tam pusillus*. Interdum etiam tali modo, *defendi fortissime illam legem et hoc in tam prouecta aetate* uel per *-que* siue per *atque* sic: *Idque in tam prouecta aetate* uel *atque id in tam prouecta aetate*. Item per negationem, *duxi Paulam uxorem, neque hoc*, uel *neque id, sine prudentium hominum auctoritate* ut *et hoc sine consilio*, uel *neque id sine consilio*, uel *idque non sine consilio*.

[2] Illud amonitione non eget, quod pro *et quoque* pro *etiam* debere accipi, ut alterum quasi membra cum membris, aliter quasi corpora cum corporibus copulet. Item *quoque* pro *et* secundum Priscianum in XVI, carta I (16, 2), ubi de copulatiuis, accipitur, qui carta finali, ubi de completiuis, ait: «*Quoque* quando pro *etiam* uel accipitur, copulatiua est, ut Virgilius in VII (7, 1):

"Tu quoque litoribus nostris, Aeneia tutrix".

(2) Quando autem superuacua ponitur, completiua est, ut Virgilius in I° *Aeneidos* (1, 5):

"Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem".

Non egeret enim ea sensus, si dixisset *multa et bello passus*, nisi, quod quidam existimant, quod pro aduerbio similitudinis accipitur, quomodo *item*».

[3] Item Priscianus in VIII° (8, 23) et pro *sicut* ponit, ibi in actiuius et passiuus, ubi Petrus Heliae (Reilly 466) dicit de prima uerborum abusione docens: «Adiungit Priscianus quod et actiua, sicut passiuua quandoque ponuntur absolute, ut *audi acute*, et hoc est quod ait in actiuis et passiuus, non enim potest *et* esse coniunctio copulatiua, quia de passiuus absolutis superius dixerat. (2) Quod autem *et* pro *sicut* poni possit, Henni in Lucano (10, 6):

"Victoris uictique caput",

id est *uictoris sicut uicti*, nisi utrunque, quod exigit copulatiua coniunctio, sibi proprie poneretur. (3) Item *ac* quoque pro *sicut* accipi reperitur, et tunc saepe si iungitur immediate». De hoc, textus leguntur

innumerabiles, impresentiarum illo Calistrati in *l. Si pater naturalis, ff. De adopt.* (D. 1, 7, 29), uolo esse contentus: «Si pater naturalis loqui quidem non possit, alio tamen modo quam sermone manifestum facere potest uelle se filium in adoptionem dare, proinde confirmatur adoptio, ac si iure facta esset», hic enim *ac pro sicut* debet exponi.

[4] Hoc admonendum est, *et pro etiam* apud Ciceronem nusquam reperiri, sicut in ceteris illo posterioribus, ut a Virgilio incipiamus. Quintilianus tamen (*Decl.* 9, 14, 10) «Siquid aduersus te ipse commisit adolescens, sit hostis et meus»; Cicero dixisset *hostis etiam meus* uel *meus quoque*. Simili ratione de *nec pro nec etiam*, ut Quintilianus (*Decl.* 5, 8, 9): «Persolui gratia non potest nec malo patri»; (2) Cicero et superiores omnes tantum dixissent *persolui non potest ne malo quidem patri*. Interdum miscemus *et* atque *nec*, nunc ab hoc nunc ab illo principio sumentes, ut *et pacem respuis nec bellum geris*; uel *nec bellum geris et tamen respuis pacem*. Nam in *nec* siue in *neque* (de utroque enim loquor) inclusa est *et* uel *-que*, quae per *et non* uel *-que non* resolui potest. (3) Poetae etiam maiorem in his sibi permittunt licentiam. *Nec* et *neque* sequente *enim* aut *uero*, pro simplici non pro composita negatione accipiuntur, siquidem idem est *nec enim* siue *neque enim* quod *non enim*, nisi ita resoluamus, *non te enim neque uero idem, quod non uero*, si modo *non uero* dicere liceret».

[5] Idem Laurentius, et ego post eum, de *nam, nanque, nam quod, quod autem, quod uero* in eodem libro, capitulo LVI^o, dicimus hoc modo: «*Nam* et *nanque* quiddam simile habent, quod *ita* et *itaque*, quippe cum *nanque* soleat et primum locum fortiri et secundum, aliquando etiam tertium, *nam* non solet, sed prima semper esse dictionum, praeterea hoc aliquando accipitur pro *autem* ad sententiarum distinctionem, (2) ut *In Salustium* Cicero (8, 11): "Nam quod in uxorem atque filiam meam tam petulanter inuasisti", idem ualet acsi dixisset *quod autem in uxorem* et cetera, siue *quod uero*, ueluti saepe incipere solemus, ut idem (Cic. *Att.* 14, 132): "Quod autem scribis, quod de exitu belli sentiam magis consilium petere possum, quam ipse aliis dare"; idem *De oratore* libro I^o (1, 247): "Quod uero uiros bono iure ciuili fieri putas", et cetera. (3) *Nec* ommittendum est *quod* et *nam* non modo causalem sed et completiuam uim habeant. Priscianus enim in XVI (16, 15), ubi de completiuis, sic ait: "*Nam* similiter quando *enim* est, quando *tosa rem†*, quando *de Graecam* coniunctionem completiuam uel affirmatiuam significat, ut Virgilius in IIII^o *Georgicorum* (4, 445):

'Nam quis te, iuuenum confidentissime, nostras',

(4) hic repletiuae uim habet; idem in V^o (*Aen.* 5, 13):

'Heu quia nam tanti cinxerunt aethera nimbi?';

idem in I^o *Aeneidos* (1, 65):

'Aeole, nanque tibi diuum pater atque hominum rex',

hic causalis est coniunctio».

[6] Porro pro omnium horum maiore intelligentia Priscianum in XVI^o post principium (16, 2) considera, sic de copulatiuis, continuatiuis, subcontinuatiuis, causalibus, adiunctiuis approbatiuisque dicentem: «Copulatiua est quae copulat tam uerba quam sensum, ut *et, -que, ac, atque, quidem* quoque quando pro *-que* ponitur. *At, ast, sed, autem*, uero quando pro *aut* accipitur. Haec enim copulant cum confirmatione intellectum». (2) En infra: «Inueniuntur tamen multae tam ex supradictis quam ex aliis coniunctionibus diuersa significationes una eadenque uoce habentes, sicut usibus ostendimus, ut *-que* inuenitur etiam completiua, ut Virgilius in VIII (*Aen.* 9, 767):

"Alexandrumque Aliumque Nomanaque Phitantiue";

ac non solum per *et* sed etiam per *quam* accipitur». Et infra (Prisc. 16, 2-6):

[7] «Continuatiuae sunt quae continuationem et consequentiam rerum significant, ut *si*, cum *ei* Graecum significat, quando enim *ean*, causalis est. Similiter *siue, sin, seu*, tam continuatiuae sunt quam causales, proprie continuatiuae sunt, quae significant ordinem praecedentis rei ad sequentem, ut *si stertit, dormit*. Et hae quidem, id est continuatiuae, qualis est ordinatio et natura rerum, cum dubitatione aliqua essentiae rerum significant.

»[8] Succontinuatiuae uero causam continuationis ostendunt consequentem cum essentia rerum, ut *quoniam, quia*, ut *quoniam ambulat, mouetur; quia sol super terra est, dies est*; utrunque enim significat fieri ordine consequenti. Quidam tamen et has continuatiuas et succontinuatiuas inter species causalium posuerunt, quomodo et adiunctiuas et effectiuas, nec irrationabiliter; (2) et continuationis enim et succontinuationis et adiunctionis et effectiois per has causa ostenditur reddi: continuationis, ut *si ambulat mouetur*, succontinuationis, *quia ambulat, mouetur*, adiunctionis, ut *quia moueatur, ambulat*; effectiois, ut *mouetur, ambulat enim*».

[9] «Causales sunt etiam proprio nomine *quoniam prodest tibi, lege et*
"Heu quia nam tanti cinxerunt aethera nimbi" (Verg. *Aen.* 5, 13)».

[10] «Adiunctivae sunt quae uerbis subiunctivis adiunguntur, ut *si, cum, ut, dum, quatinus* quando *ina* Graecam coniunctionem significat. Similiter *cum* quando *enan* (= gr. *επὸν*) Graeca intelligitur, ut *si uenias, faciam; ut prosit tibi, facio*, Virgilius (*prol. Aen.* 1, 5)

"Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem".

(2) Similiter *quatinus id libenter facias*, et Virgilius in *Bucolicis* (3, 77):

"Cum faciam uitulam pro frugibus, ipse uenito".

Inueniuntur tamen ex his quaedam simul et causales, ut *exerce te, ut sis sanus; eris doctus si legas*. Et hoc interest inter adiunctivas et proprie causales, quod hae cum affirmatione, illae cum dubitatione proferuntur. (3) Inueniuntur tamen nomina uel pronomina uel etiam praepositiones uel aduerbia, quae loco causalium accipiuntur: pronomina ut *ideo, eo*; nomina *qua causa, qua gratia, quapropter, quamobrem* et *quasobres*.

»[11] *Ne* quoque quando *name* significat coniunctio est causalis, ut Virgilius II° *Aeneidos* (2, 187-88):

"Ne recipi portis aut duci inter moenia possit
neu populum antiqua sub religione tueri".

Et nota *ne* quoque et *neu* hic pro copulativis esse coniunctionibus. (2) Inuenitur etiam *ne* pro *neque*, quae copulativa est coniunctio; sub una enim abnegatione copulat res diuersas, quomodo et *nec*. Et proprie causales sunt, quae causam antecedentem, causatiuae, id est res ex causa antecedente euenientes, significant, ut *doctus sum, nam legi*.

[12] «Approbativae sunt quae approbant rem, ut Virgilius in XII (12, 931):

"Equidem merui nec deprecor, inquit".

Vnde et inueniuntur causales pro approbatiuis, Virgilius in II° (2, 536):

"Dii si qua est caelo pietas quae talia curet".

Et sciendum quod quando approbatiuae sunt, indicatiuo modo iunguntur».

XXXVI. De nec, neque et eorum geminatione. De coniunctionibus causalibus.

[1] Petrus Heliae hic in XVI° (Reilly 820) super *ne* et *neque* approbatiuisque coniunctionibus sic ait: «*Ne* secundum quosdam ponitur pro *ut*, secundum alios pro *ut et non*, sed quodcunque horum sit causalis coniunctio adiunctiva est sic accepta». (2) Illud quoque addit quod *ne* ponitur pro *neque*: «Et uide quod ista coniunctio, scilicet *neque*, negat id cui adiungitur, quomodo *nec*, et copulat id quod praemittitur negato, ut apud Lucanum (1, 72-73):

"Nec se Roma ferens praemissum erat, quod series
fatorum fuit causa ciuilis belli",

nec se Roma ferens, id est *et Roma non ferens se fuit causa*, ecce series fatorum, et id quod negatur, scilicet Roma non ferens se, copulatur. (3) Similiter de *neque* intellige. Et uide quod *nec* et *neque* quando in ordine geminantur, copulatio primum positi nihil operatur, sed tantummodo signum sequentis est». Diffinit proprie causales postea ibi: «Antecedentem cantum suum, id est suos effectus, ut apud Virgilium (*Aen.* 1, 65):

"Aeole nanque tibi",

et cetera, et subauditur *mitte uentos ad maris concitationem*. (4) "Nam diuum pater" et cetera. Ergo quia diuum pater dedit Eolo tollere fluctus uento, causa est quare Eolus mittat uentos». (3) Effectuarum uero coniunctionum diffinitionem non ponit, quia ex causali mutato ordine effectiuam depraendit, si enim dicas *legi, nam doctus sum*; (5) e causali effectiuam habes, mutato ordine, quippe effectiua dicitur quae effectui iungitur, ut apud Virgilium (*Aen.* 1, 26):

"Fabor enim quando haec te cura remordet".

In hac ergo oratione, *quando* causalis est coniunctio. Si autem dicat econtrarius, *haec cura remordet quando quidem narrabo*, erit coniunctio effectiua. (6) Approbatiuae, in fine, Petrus Heliae hic in fine dicit (Reilly 820): «Vide quod quando adiunctivae causales sunt, iunguntur magis proprie modo subiunctiuo, quandoque tamen et aliis, ut *si sit homo est alias*, rectius dixit, quam si dixisset *si est homo et alias*, eo quod subiunctiuus est dubitatiuus, quando uero eadem approbatiuae sunt, indicatiuo modo sociantur, ut *siquam est caelo pietas*».

[2] Ad praedicta magis ante oculos collocanda Nicolaus Perottus super differentiam inter *enim*, *quandoquod*, *quando*, *cum*, *quod*, *nam*, *nanque*, *quoniam*, *quia*, *quippe*, quo ad elegantem situm in capitulo *De componendis epistolis*, § *Differuntne inter se hae coniunctiones?* (fol. nVIIr.), sic notanter ait: «Differuntne inter se hae coniunctiones quibus in eodem loco uteris, *enim*, *quandoquidem*, *quando*, *cum*, *quod*, *nam*, *nanque*, *quoniam*, *quia*, *quippe*? (2) Eadem certe est omnium istorum significatio, quando accipiuntur pro *quia*. Sed differunt in elegantia. *Enim* nunquam in oratione praeponitur, sed semper sortitur secundum locum aut tertium, ut *ego enim*, *ex his enim*. *Nam* nunquam secundum locum aut tertium habet, semper primum, ut *nam multa sunt quae dici possunt*. *Nanque* aliquando primum locum sortitur, aliquando secundum et tertium. (3) *Quandoquidem* et *quando* semper praeponuntur, Virgilius (*Aen.* 10, 105)

"Quando quidem Ausonios non fas contingere portus";

idem (*Aen.* 1, 26):

"Hic tibi faber enim, quando haec te cura remordet".

(4) *Quia* et *quoniam* semper praeponuntur, nisi forte postponantur aduerbiis siue interiectionibus, ut *heu, quia heu quoniam*, et non *quia* et non *quoniam*, sicut etiam *nam* semper alioquin praeponitur, ut

"Heu quia nam tanti cinxerunt aethera nimbi" (Verg. *Aen.* 5, 13);

et Cicero (*Brut.* 10, 6): "Nunquid inquit noui?" (5) Sed hoc in compositione potius est et non significat *quia*. *Cum* praeter supradictorum morem semper subiunctiuum requirit, ut *cum ex his facile cognouerim; quippe* significat *quia* certe». (6) His *Catholicon* adiungi potest, ubi in *quia* sic habetur: «*Quia* et *quoniam* in eodem sensu sunt, sed *quoniam* proprie praeponitur, et sequentem sensum alligat, ut *quoniam doces, disco*. *Quia* proprie postponitur et superiorem sensum confirmat, ut *scio, quia didici*. Et *quia* syllabicatur per *nam*, ut *quianam*, id est *quia* uel *cur*, Virgilius (Verg. *Aen.* 5, 13) :

"Heu quia nam tanti cinxerunt aethera nimbi?"».

(7) Ego quidem, haec laudans, adiicio *siquidem* pro *quia*, ut antedicta in constructione esse praeponendum, sed quidem non primum locum at secundum uel tertium, sicut et enim, sibi uendicare debet.

XXXVII. De iterum, antehac, posthac, deinceps, rursus.

[1] De *iterum*, *antehac*, *posthac*, *deinceps*, *rursus*, Laurentius libro II^o, capitulo LVII^o et ego in meo *Elegantiarum breuiario* sic scribimus: «*Iterum* etiam ad primam uicem non tantum ad posteriorem refertur, nam *iterum uoco te*, id est iterata uice, usitatum est. *Iterum uocauit* praeter hanc uicem minus est usitatum. *Antehac* et *posthac* huic similia sunt, hoc est ante hoc uel post hoc tempus. Aliquando tamen reperimus ante illud uel post illud tempus. (2) Similiter *deinceps* accipietur pro *dehinc* et pro *deinde* atque etiam pro *gradati*. Sed redeamus ad *iterum*, quod aliquid nouitatis exhibet, cum dicitur *iterumque ad tarda reuerti corpora, quomodo iterum?* Nunquid *anna* semel redierant? Minime. Quid ergo? Aut accipiendum est, quomodo *rursus* pro e contrario, aut *reuertere* redireque pro *uenire*».

[2] De *ultra* *citroque* *huc* et *illuc*, *sursum* et *deorsum*, *ultra* et *sponte*, capitulo sequenti sic dicimus: «*Ultra* *citroque* in factis et dictis, Quintilianus (*Decl.* 2, 20, 13): "Iuuenis solet *ultra* *citroque* commeare"; Cicero VI^o *De re publica* (*Rep.* 9): "Multisque uerbis *ultra* *citroque* habitis, ille non consumptus est dies". Nec elegans esset *huc* et *illuc* *commeabat*, nisi errandum et incertum iter significes. (2) Nam et Cicero de *Catilina* deuiante prorsus a rationis uia uagante dicit V^o *Ad Herennium* (4, 49, 62): "Tubatus draco serpit dentibus aduncis, aspectu uenenato, rabido spiritus circumspectans *huc* et *illuc* si quem reperiatur, cui aliquid mali faucibus affare, ore attingere, dentibus insectare, lingua aspergere possit." (3) Quidam tamen *sursum* et *deorsum* utuntur, forte sic loqui deceat per *sursum* *deorsumque* si de fortunae mutabilitate dicatur, quae nunc tollit, nunc deprimit. *Ultra* tamen a *sponte* sic uidetur differre, quod *ultra* est quasi sine requisitione, ut *ultra ad te ueni*, id est a te non requisitus ueni; *sponte ad te ueni*, id est meo consilio; ad res inanimatas transferimus, ut *multae arbores sua sponte nascuntur*, id est per se».

[3] Ego autem hic *comminus* adiicio sic inuens: «*Comminus* secundum Seruium primo *Georgicorum* (1, 104) est *statim* et *sine intermissione* ut: "Quid dicam iacto qui feminae *comminus* arua insequetur?" Vbi Beneuentus dicit de prope statim post seminationem. Verum secundum *Catholicon* est aduerbium pro *iuxta*, *sine intermissione*, *statim* fere in praesenti, simul *prope* de proximo. (2) Cui contrarium est *emminus*, cum duabus *-m-* scribitur secundum Papiam et componitur e *con-* et *minus*. Et dicitur in *Graecismo*: "*Eminus* alonge sed *comminus* ad prope spectat". (3) Tandem *comminus* pro *praesentialiter* in iure inuenio, dicit enim in principio legis finalis Imperator: "Si imperialis maiestas causam cognitionaliter

examinauerit et partibus comminus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sunt, sciant hoc esse legem non solum illi causae pro qua producta est, sed omnibus similibus". (4) Vbi glosa secunda super uerbo *comminus* ait: "Id est praesentialiter, alias non ualet, ut *ff. De re iud., De unoquoque* (D. 42, 1, 47). Item magis ab abstinentia quam ius non habet, lata uidetur, ut *ff. De euicti., Si ideo* (D. 21, 2, 55) et *ff. De inoffi. testa., l. Qui repudiantis, § finali*" (D. 5, 2, 17)». De his etiam uide infra, libro 4°, regula 81, circa finem.

XXXVIII. De uicissim, inuicem et mutuo.

[1] De *uicissim, inuicem, mutuo*, Laurentius et ego libro II°, capitulo LX° scribimus hoc modo: «*Vicissim* non memor sum usquam esse apud Ciceronem ac Quintilianum et fere maximos quoque auctores, nisi pro secundo loco siue *ediuerso* uel *econtrario*. Virgilius tantum semel neque id aperte uidetur usus pro *inuicem* et *mutuo* (*Ecl.* 3, 28):

"Quid possit uterque uicissim experiamur".

Quod imitatus est Suetonius et alii plures. (2) Cicero semper, quod ego quidem sciam, sic (*Amic.* 26, 9): "Id accipiet ab alio uicissimque redderet"; et iterum (*Cic. Amic.* 30, 7): "Sed ego admiratione quadam uirtutis eius, ille uicissim opinione fortasse non nulla, quam de moribus meis habeat me dilexisti"; Quintilianus itidem, apud quem et ceteros illius aetatis non modo *inuicem* tali modo usurpatur, quale est in *Declamationibus* (7, 3): "Inuicem sustinentes, inuicem innixi", id est alter alterum sustinens et uterque alteri innitens; (3) sed etiam in sensu cuius est *uicissim*, ut libro X (*Quint.* 10, 7, 21): "Tam contumeliosos in se ridet inuicem eloquentia et qui stultis uideri eruditi uolunt, stulti eruditus uidentur". (4) In eadem significatione est *mutuo*, de quo modo attigi, non solum in hac qualis est *inuicem se amant*, ut *mutuo se amant* et *mutuus amor*, sed in ea de qua disputauimus, Cicero (*Fam.* 4, 7): "Fac me mutuo diligas", hoc est, *fac ut mihi in amore respondeas*».

[2] Hic autem adiicio quid illa uerba *utrimque* in alteros et *inter se* importet, et quam differentiam cum *inuicem* et *mutuo* habeant. Nec dubium est apud eundem Laurentium in primo sui *Antidoti* (1, 12, 2) super illo textu *utrimque telo in alteros emisso*, sic inueni: «Si dicatur *utrimque telo in alteros emisso*, non superuacaneae *in alteros* est adiunctum; (2) significatur enim in ipsos hostes et non frustra siue in locum inocuum (puta in caelum) ubi enim hoc notare uellemus *in alteros* adiicere non debemus, et ut recte dicitur *se inuicem ueruerabant*, ita minus recte *inuicem tela mittebant*, nisi *inuicem* pro *simul* accipiatur.

[3] Improprie ideo dicitur *tela mutuo emitti*, sicut *mutuo mitti*. Atque dona muneraque mutuo mitti usitatum est, non tela, cum mutuuum sit fieri *de meo tuo*, ut iurisconsultis placet, huius uocis ethimologiam sequentibus, siue *meum de tuo*, quod rite dicitur de rebus quas dono, non de telis qui inter hostes emittuntur.

[4] *Imbre telorum utrimque inter se emisso* dici non debet, hic enim *utrimque* superuacaneum est et *imbrem telorum inter se emittere* improprium et absonum dictu *pugnare inter se* colloquuntur, *amant inter se* frequenter audimus et legimus, *iaculantur uero inter se, tela proiciunt* aut *sagittantur inter se*, nec legimus nec audimus. Quod autem *utrimque in alteros telos emisso* recte dicatur, Salustius in *Iugurino* (18, 12) probat: "Deinde utrimque alteris freti finitimos armis aut metu sub imperium suum cogere"».

XXXIX. De scilicet et uidelicet.

[1] In capitulo uero finali libri secundi (Valla *Eleg.* 2, 60) *de scilicet et uidelicet*, sic disserimus: «*Scilicet* et *uidelicet* id quod *certe* significare uidentur, sed usum suum habent et praecipuum per amaritudinem quandam cum derisu permixtam, ut apud Virgilium (*Aen.* 4, 379):

"Scilicet is superis labor est";

et apud Terentium (*And.* 185):

"Id populus curat scilicet".

(2) Sine hac acerbitate et interrogatione ut Quintilianus (*Decl.* 6, 14, 19): "Sed est uidelicet ultima calamitatum rabies et nouissime in furorem uota ipsa uertuntur", non numquam post relatiuum, sicut quidem poni solet. (3) Non numquam et ante uel sine relatiuo et hi sunt fere modi utendi his duabus dictionibus apud doctissimos, apud quos uix reperias illum uulgo usitatissimum modum, cum ea quae confuse dicta sunt per singula postea exponimus quale esset: *quattuor sunt uirtutes, scilicet uel uidelicet: prudentia, iustitia, fortitudo, modestia*».

XL. Quid momenti coniunctio aduerbiumque disiunctiuum ex collocatione faciant.

[1] In libro uero III, capitulo XXX, Laurentius et ego sequens eum declarantes quid momenti faciat coniuncti, aduerbiumque disiunctiuum ex collocatione facta dicimus et docemus: «Nequamquam recte dici *corrupto uel corpore uel mente*. Debet enim adiectiuum illud ad utrumque substantiuum in genere et numero applicari. Neque de uel tantummodo intelligo, sed de ceteris quodque per et coniunctionibus. (2) Neque hoc solum ubi adest cum adiectiuo substantiuum sed etiam sine eo, quale hoc est *tu nec faceres nec ego permitterem*, non est hic sermo latinus, dicendum namque erat *nec tu faceres nec ego permitterem*, aut sic *tu nec faceres nec a me facere permitteris*; tota enim dependet oratio a dictione prima. (3) Item: *potes cognoscere partim ex aliorum sermone partim te edocebit ipse tabellarius*, non est latinus sed sic *partim potes cognoscere*, et cetera, aut sic: *potes cognoscere partim ex sermone tuo partim ex tabellario*; (4) huius etiam loci illud est, ne hoc modo uerba commisceamus diuersam naturam habentia, quale illud est *ille mihi nec nocuit unquam nec adiuuit*, *ego nec offendi se nec eidem profui*, dicendum erat *ille mihi nec nocuit unquam nec profuit* aut sic: *ille nec nocuit mihi unquam nec me adiuuit*, *nec offendi se nec eidem profui*».

XLI. De negationis usu.

[1] Item in in capitulo sequenti de negationis usu sic dicimus: «Tres aliquando negationes non plus quam duae efficiunt, ipsa dictionum collocatione peragente ut *numquam mihi nec offuisti nec profuisti*, tres hic sunt negationes. Muta primam negationem in medium aut in postremum, iam euanescent, cum ibi locum non inueniat sic *mihi nec offuisti numquam nec profuisti* aut sic: *mihi nec offuisti nec profuisti numquam*; *nescis nec in pace nec in bello uiuere*, *nec in pace nec in bello scis uiuere*, ibi tres negationes sunt, hic duae, cum eadem sit sententia.

»[2] *Vereror, timeo, metuo* et siqua sunt talia idem efficiunt uel cum negatione uel sine ea, ut *uereor ne ueniat* et *uereor ut ueniat*, *timeo ne moriatur* et *timeo ut moriatur*, et Ciceronis more *ut ne pro ut non*: "Metuo ut ne pereat" (*Att.* 7, 6); et Terentius (*And.* 61):

"Apprime in uita esse utile".

ut *nequid nimis* pro *nequid nimis*, ex quo miror Seruium primo *Georgicorum* (1, 96) reprehendisse dicentes *pater adest, caue ne te tristem sentiat*, nam et *ne* et *caue* prohibentis est.

»[3] *Neutiquam* pro *nequamquam* et ipsum *nequamquam* et *nusquam* et *nuspiam* simplicem negationem indicant. Ideo uno uerbo contenta sunt ut *nequamquam ueniam*. *Necubi* non simplicem ideoque duplex uerbum postulat, *uolo necubi mihi obuius fiat*. Item *ne alicubi*. Vt *sicubi* pro *si alicubi*, *sicunde* pro *si alicunde*. Item *uir malus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedit*, *uir bonus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedat* uel *recedat*. (2) *Nescio* an liceret dicere *recedit*, hoc loco eadem uerba datur malo uiro et bono, sed tamen *malus recedere* ab *amicitia* intelligitur, *bonus non recedere*, et *ille non lacessitus iniuria*, hic *lacessitus*. Et *haud scio* an hoc sit satis ad haec distinguenda dixisse, quod alibi rem significamus, alibi admonemus.

»[4] Huc addamus unum, in quo non pauci falli solent, ubi debeat geminari negatio, ubi non debeat, ut hoc exemplo *non modo stellae sed ne luna quidem, ad solem seruat splendorem suum* recte dicitur. Item hoc modo recte, *non modo nullae stellae sed ne luna quidem*, et cetera. At quotiens adest dictionibus quaedam contrarietas, non possis tollere alteram negationem, ut hoc modo *non modo stellae non apparent, sed etiam luna ad solem obscuratur*, sine geminatione negationis non recte loqueris.

»[5] Diuersum est eorum uicium qui ad illud non modo applicant *sed etiam*, dum *sed saltem* aut *sed certe* aut *sed uel* applicare deberent. Quale est Lactantii libro I° (?): "Quis enim e more non modo futura praedicere, sed etiam coherentia loqui possit?"», dicendum erat *sed uel coherentia possit loqui*, nisi forte culpa librarii est».

[6] Hic in meo *Elegantiarum breuiario* de *nemo nihilque* adieci: «*Nemo*, testante Prisciano in VI° (4, 15-16), siue ex *homine* compositum, ut quibusdam uidetur, seu non, communis est generis. Et similiter *-o-* in *-i-* conuertit in genitiuo, ut *nemo, neminis*. Nec solum de hominibus dicitur, Virgilius in VIII (*Aen.* 9, 6):

"Turne, quod optanti diuum promittere nemo".

(2) *Nihil*, -ut idem dicit in eodem- indeclinabile est, quia per apocopen ab eo quod est *nihilum* prolatum est. Quidam tamen putant aduerbium esse. Quod nomen esse adiectiuum quantitatis ipsa ostendit constructio. Quomodo enim dicimus *multum bonum* et *boni* et *bonorum*, et *nimum lucrum* et *lucri, lucrorum*, sic *nihil malum* uel *mali, malorum*. Terentius in *Andria* (58):

"Nihil horum egregie praeter cetera";

et Cicero *De signis* (*Verr.* 2, 4, 38, 83): "Nihil minus ferendum pro nihil intolerabilius". (3) Potest autem loco aduerbii accipi, quomodo *multum* et *primum*. *Nihil* autem uel *nihilum* a *non* et *hilum* est compositum, quod sine dubio nomen est, *hilum* enim pro *illum* uetustissimi proferebant».

[7] *Catholicon* uero dicit: «*Nihil* ab *hilum* pro grani uel medulla pennae dicitur, dicebant antiqui *hilus*, *-la*, *-lum*, *ullus aliquis*. Et ab *hilus* et *non* componitur hoc *nihilum*, *-li*, quasi *non hilum*, id est non aliqua, uel secundum quosdam a *non* et *hilum pennae* componitur. Inde dicitur *nihilum*, quasi *non et hilum*, id est non et tantillum quantum est hilum, quod est quasi nihilum. Et hinc apocopatam hoc *nihil* indeclinabile. Et sincopatur hoc *nil* similiter indeclinabile. Et nomina sunt diuersa. (2) Et a *nihilum*, *nibilo*, *-as*, et componitur a *nibilo*, *-as*, actiuum, annullare, destruere, ad nihilum reducere, et actiua sunt. Et *nihilum* in neutro genere tantummodo comparatur *nihilus*, *nihilissime*, unde *nihilitas*, *nihilitatis*. Et *hic* et *haec* et *hoc nihil* indeclinabile uel forte genitiuus sit, qui figurate cum quolibet casu, genere numeroque utroque intransitiue construatur, ut *nihil homo*, *nihil hominis*, *nihil homini*, et cetera, id est nullius utilitatis uel praecii uel ualoris homo. (3) Et per compositionem *nihilfacio*, *-is*, *-eci*, et *nihilpendo*, *-is*, in eodem sensu, id est uilipendere, nullius praecii astimare. *Nihilominus* aliquando dictio simplex, aliquando est composita». Et uide plene per idem *Catholicon* in secunda parte sui operis, in compositis a *minus*.

[8] Aegidius uero in capitulo XXVII, uersiculo *Nihilbominus*, sic ait: «*Nihilbominus* quando est una dictio composita proferri debet sub uno accentu, et posito super antepenultima, et est coniunctio aduersatiua et ualet quantum *tamen*, ut *iste offendit me*, *nihilbominus benefacio ei*, id est *tamen*. (2) Quando est oratio, scilicet ablatiuo *nibilo* et *minus* nomen uel aduerbium, debet proferri sub duobus accentibus, ut *nibilo* et *minus*, et tenetur comparatiue *minus* siue teneatur nominaliter siue aduerbialiter. Aduerbialiter tenetur, ut *iste multum comedit* et *iste nibilo minus illo comedit*. (3) Nominaliter tenetur, ut *hoc animal est magnum* et *hoc nibilo minus est illo*. Et semper in tali constructione subintelligitur *in* ad regimen huius ablatiui *nibilo*. Quisquis ergo consulat ad constructionis sensum attendat, et uidebit qualiter sit proferendum». (4) Et nota uersum in additionibus: «Est *non* estque *tamen nihilominus* et *dupla pars est*». Et idem de *paulo minus* et *nibilo minus* dicit Hugutio in libro *De dubio accentu*, uersiculo *De paulo minus et nibilo minus* (Cremascoli 71). Et apertius per *Catholicon*, ubi supra, ubi etiam de *quominus* et *siquominus*.

[9] Ioannes Tortellus Aretinus in *-h-* circa finem, super dictionibus latinis in principio uel medio aspiratis, in uerbo *nihilum* sic ait: «*Nihilum* cum aspiratione media scribitur, a quo per apocopen extremae syllabae *nihil* factum est, et per syncopam *nil*. (2) Quibus hoc modo, teste Seruio, in constructione utimur, ut si pars sequens orationis a uocali inchoet, dicimus *nihil*, ut Virgilius (*Aen.* 2, 402)

"Heu nihil inuitas quenquam fidere diuis".

Sin autem a consonante initium sumatur, *nil* promimus:

"Nil tale expectes"

secundum Iuuenalem (4, 22), et *tamen nil* producitur cum *nihil* corripitur.»

XLII. De temporibus imperatiui.

[1] Ego quoque in capitulo sequenti, puta XXXII^o, libri tertii, in meo *Elegantiarum breuiario* multa pulchra de temporibus imperatiui modi, etiam secundum Graecos, et de modorum officii significatione, in principio, ex Prisciano VIII^o maioris secundoque minoris excerpta adiicio. Is enim in VIII^o de imperatiui temporibus tractans ait (8, 40): «Imperatiuus uero praesens et futurum naturali quadam necessitate uidetur posse accipere. Ea enim imperamus, quae uel statim in praesenti uolumus fieri sine aliqua dilatione uel in futuro». (2) Et infra (8, 41): «Apud Graecos quoque et praeteriti temporis sunt imperatiua, quamuis ipsa quoque ad futuri temporis sensu pertineant, ut *yneo cheonyan* (= gr. ηνεωχθω η πυλη), *aperta sit porta*. Videtur enim imperare ut in futuro tempore sit praeteritum, ut si dicam *aperi nunc portam ut cras sit aperta*. (3) Ergo nos quoque posumus in passiuus uel aliis passiuam declinationem habentibus uti praeterito tempore imperatiui, coniungentes participium praeteriti cum uerbo imperatiuo praesentis uel futuri temporis, ut *amatus sit* uel *esto*, *doctus sit* uel *esto*, *clausus sit* uel *esto*.

[2] Idem paulo post de modis docens inquit (8, 63): «Modi sunt diuersae inclinationes animi, uarios eius effectus demonstrantes, quos uaria consequitur declinatio uerbi. Sunt autem quinque: indicatiuus, imperatiuus, optatiuus, subiunctiuus et infinitiuus. Indicatiuus quo indicamus uel deffinimus

quid agitur a nobis uel ab aliis. Imperatiuus est quo imperamus aliis ut faciant aliquid uel patiantur». (2) Et infra: «Solemus tamen non solum imperantes, sed etiam orantes saepissime eo uti, ut

"Musa mihi causas memora, quo numine laeso"

Virgilius primo *Aeneidos* (1, 8); idem in II° (*Aen.* 9, 52):

"Vos, o Caliope, praecor aspirate canenti".

(3) Tertius est optatiuus, qui eget aduerbio optandi, ut plenum sensum significet. Quartus est subiunctiuus quippe iure, qui eget non solum aduerbio uel coniunctione, uerum etiam altero uerbo, ut perfectum significet sensum, ut Virgilius in *Bucolicis* (3, 77):

"Cum faciam uitulam pro frugibus, ipse uenito".

(4) Et sciendum quod omnibus aliis modis sociari potest subiunctiuus, qui cum diuersas habeat significationes, non ab una earum, sed a constructione nomen accipit. Est enim quando dubitationem significet, ut *si uideam intelligo*. Est quando confirmationem, Virgilius I *Aeneidos* (1, 234-37):

"Certe hinc Romanos, olim uoluentibus annis,
hinc fore ductores reuocato sanguine Teucrici,
qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
pollicitus",

tenerent enim confirmatiue dixit. (5) Est quando suadentes hoc utimur, ut si dicam *prodem si legas*. Est quando imperantes, ut *ne dicas, ne facias*, in quo non eget alio uerbo. Est quando ostendentes potuisse fieri, nisi quid impedimento fuisse, ut *faciant si placuisset, si licuisset*.

[3] «Infinitiuus (Prisc. 8, 69) est qui et personis et numeris deficit, unde et nomen accipit infinitiui, quod nec personas nec numeros definit, et eget uno ex supradictis modis, ut significet aliquid perfecte, ut *legere propero, legere propera, utinam legere properarem, cum legere properarem*».

[4] Idem Priscianus in 2° minoris circa medium, § *Itaque apud Graecos* (18, 48), id quod ego in meo *Elegantiarum breuiario* super libro I, capitulo XXVII°, adieci in principio, sic inquit : «Itaque apud Graecos quidem pro imperatiuo ponitur, apud nos autem pro praeterito imperfecto. Et apud nos et apud illos per figuram eclipseos, id est defectionis, *gaudere* enim dicunt pro *gaude*, et subauditur *inbeo* uel *nolo, opto*. (2) Sic enim antiqui *gaudere inbeo* pro *gaude*, Terentius in *Adelphis* (460-61):

"Gaudere legionem plurimum
iubeo",

pro *gaude, legio, multum*. Sic ergo et apud nos, cum imperfectum sit *dicere coepi* pro *dicebam, scribere coepi* pro *scribebam*; (3) per eclipsim uerbi *coepi* solent auctores uerba infinita proferre, ut Terentius in *Adelphis* (And. 145-46):

"Ego illud sedulo
negare factum",

dest enim *coepi negare*, pro *negabam*. (4) Nec mirum infinita, quae cognationem habent ad omnes modos, pro quibusdam eorum poni, et maxime pro defectiuus, cum sint et ipsa defectiua. Et imperatiuus enim deficit tam quibusdam personis quam temporibus, et praeteritum actu deficit, significat enim eum semiplenum. Et infinita deficient numeris et personis.

»[5] Cum etiam alios modos inueniamus pro aliis ab auctoribus proferri, ut

"Musa mihi causas memora" (Verg. *Aen.* 1, 8),

et

"Dicite, Pierides" (Verg. *Ecl.* 8, 63);

imperatiua pro optatiuis, et contra optatiua et subiunctiua et indicatiua pro imperatiuis, Terentius in *Eunucho* (884):

"At nihil tibi quicquam credo. Desinas",

pro *desine*; (2) Virgilius III° *Georgicarum* (4, 239-40):

"Si duram metues hiemem parcesque futuro,
contusosque animos et res miserabere fractas",

pro *paruito*; idem in *Bucolicis* (3, 59):

"Alternis dicetis, amant alterna Camenae",

dicetis pro *dicite*; Oracius in I *Epistularum impinguas* pro *impinguito, seruabis* pro *seruato, uteris* pro *utitor, leges* pro *legito* (cf. Hor. *Epist.* 1, 13, 8; 1, 13, 12; 1, 13, 10; 1, 18, 96). Graeci quoque frequenter hoc utuntur modis uerborum pro modis ponentes».

[6] Idem sub eodem, uersiculo *Cum etiam alios modos* de antedictis quinque modis et iam praelibatis plenius accurantiusque examinat. Qui in eodem II^o, de imperatiuis docens, in § *Illud autem* (Prisc. 18, 75), sic ait, id quod in XXXII^o dicti tertii libri inuenies, circa finem: «Illud etiam monendum, quod imperatiua uerba uocatiuis casibus adiuncta nominum perfectionem orationis habent, ut *o Apolloni, o Tripho disce*. (2) Nominatiui enim egent substantiuis uerbis plerunque et uocatiuis, ut in nominibus similiter substantiam significantibus relatiuis, ut *qui es Apollonius, doce, qui es Tripho, disce*. (3) Et infra: «Et per eclipsim tamen supradictorum inuenimus nominatiuos, ut *laetus cogito, peritissimus cogitas, Cicero iustus defendit*, et similia.

»[7] Optatiua uerba (Prisc. 18, 76) indicant per se rem et uotum, aduerbium uero *utinam* tantum significat uotum. Ad ampliorem igitur demonstrationem additur uti uerbis optatiuis, quomodo confirmatiua aduerbia indicatiuo, ut *profecto facio, certe lego, scilicet intelligo*. Apud Graecos *utinam* non solum optatiuo sed etiam indicatiuo adiungitur. Et facit id loco optatiuo accipi. Apud nos tamen indicatiuo non adiungitur. Et (2) Graeci quidem, et maxime Attici, sine deprecatione solent hoc modo uti pro indicatiuo, nos uero minime quamuis similes sint eius uoces subiunctiui uocibus, quibus frequentissime pro indicatiuis utuntur auctores nostri». (3) Et infra: «*O* etiam aduerbium et *si* coniunctio et *ut* pro *utinam* inueniuntur, et per se tamen uerba optatiua saepe ponuntur sine supradictis particulis».

[8] «Subiunctiuus et *dubitatiuus* dicitur (Prisc. 18, 79): Subiunctiuus uel quod subiungitur coniunctioni uel quod alteri uerbo omnimodo subiungitur uel subiungit sibi alterum, ut Virgilius in *Bucolicis* (3, 77):

"Cum faciam uitulam pro frugibus, ipse uenito".

(2) Et infra: «Frequentissime tamen *si* coniunctio dubitationem significans ei sociatur». (3) Et infra: «Terentius in *Adelphis* (934-35):

"Si tu sis homo
hic faciet".

(4) Et infra: «Cum uero rem rei continuari demonstrat, indicatiuo iungitur, ut *si uiuit, spirat* et *si spirat, uiuit; si ambulat, mouetur*. In hoc non possumus reciproce dicere *si mouetur, ambulat*, non enim qui mouetur omnino ambulat, qui ambulat uero et omnimodo mouetur». (5) Et infra: «Non igitur mirum *si* coniunctionem apud nos, quae tam pro *ean* Graeca coniunctione, quae causalis est uel perfectiua, quam pro *ei*, quae coniunctiua est, ponitur, utriusque constructionem, quam habent apud Graecos supradictae coniunctiones, ad uerba seruare, ut et indicatiuo et optatiuo et subiunctiuo possit adiungi. (6) Indicatiuo, ut Virgilius in IX (*Aen.* 9, 194-95):

"Si tibi quae posco promittunt, nam mihi facti fama
sat est";

Terentius in *Phormione* (527):

"Sic sum, si placeo, utere".

Optatiuo, ut Virgilius in VI^o (*Aen.* 187-88):

"Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat".

(7) Subiunctiuo, Terentius in *Phormione* (*Ad.* 2, 1, 24):

"Si attigisses ferres infortunium".

Sed indicatiuo saepe coninctum ostendit magis confirmari et crediderim sic esse et fieri posse quam dubitari, Virgilius in II (*Aen.* 2, 536):

"O dii, siqua caelo est pietas".

Confirmatiue enim potius quam dubitatiue dicitur, Terentius in *Andria* (504-505):

"Sed siquid tibi narrare coepi, continuo tibi
dari uerba censes".

(8) Et infra: «Similiter indicatiuis utuntur, quando in ipsis esse uel fuisse rebus aliquid uolunt ostendere, ut Cicero *De praetura urbana* (*Verr.* 2, 1, 2, 6): "Qui si condemnatur desinent homines dicere, his iudiciis pecuniam plurimum posse; sin absoluitur, desinemus nos de transferendis iudiciis dubitare". Virgilius in VI^o (*Aen.* 6, 119-120):

"Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,
si fratrem Pollux alterna morte redemit
itque reditque uiam totiens".

(9) De rebus quas sine dubio factas esse uult ostendere, indicatiuus est usus cum supradicta *si* coniunctione. Quando uero dubia res ostenditur utrum fieri necne per inductionem subiunctiuus magis utuntur, Virgilius in IX (*Aen.* 9, 210-12):

"Sed siquis, qua multa uides discrimine tali,
siquis in aduersum rapiat casusue deusue
te superesse uelim".

(10) Cicero tamen "Siquis uestrum, iudices, aut eorum qui assunt, forte miratur me", *forte* additione cum indicatiuo est usus loco subiunctiuus cum dubitatione positi. Terentius in *Andria* (568):

"Si ueniat, quod dii prohibeant, disidium".

Cicero in I° *Inuectiuarum* (*Cat.* 1, 7, 17): "Si te parentes timerent atque odissent tui".

[9] Et infra (Prisc. 18, 89): «Est tamen quando in dubiis utuntur indicatiuo cum *si* coniunctione, ut Virgilius in III° (*Aen.* 9, 214)

"Aut siqua fortuna uetabit",

pro *uetet*, dum metri causa, nam in eodem sensu subiunctiuo est usus (Verg. *Aen.* 9, 211):

"Si quis in aduersum rapiat casusue deusue".

»[10] Est tamen (Prisc. 18, 89) quando per defectionem *si*, quomodo *ut* subiunctiua proferatur, et subaudiuntur supradictae coniunctiones, ut Iuuenalis in I° (1, 3, 78):

"Graculus esuriens in caelum iusseris, ibit",

pro *si iusseris*. Statius in 2° (*Theb.* 2, 242):

"Mutatosque uelint transumere cultus",

pro *si uelint*. (2) Virgilius in VI° (*Aen.* 6, 30-31):

"Tu quoque magnam

partem opere in tanto, sineret dolor, Ycare, haberes",

deest *si*. Oratius in I *Carminum* (1, 11, 6):

"Sapias, uina linques",

pro *si sapias*.

»[11] Et sciendum quod, quomodo apud Graecos *to ean* subiunctiuo, *to ei* uero et indicatiuo et optatiuo et subiunctiuo inuenitur coniunctum, sic apud Latinos *si* coniunctio, quae utrunque demonstrat, quando consequentiam significat, sine dubio adiungitur indicatiuo, ut *si ambulat, mouetur; si uiuit, spirat*. (2) Quando autem causalis est, magis subiunctiuo. Est tamen quando indicatiuo sociatur, ut *si doceam discas*, uel *discis* uel *discas*, et *si prodest tibi, fac*, et *facis* et *facies*. Iste igitur modus, id est subiunctiuus, ut breuiter uim eius colligam, apud Latinos est quando dubitationem, est quando comprobationem, est quando possibilitatem significat, in qua sunt etiam illa, quae Graece suppositiue dicuntur: (3) dubitationem, ut Virgilius in III° (*Aen.* 3, 39):

"Eloquar an sileam";

Idem in I° (*Aen.* 1, 327):

"O quam te memorem, uirgo",

et Terentius in *Euuicho* (47-48):

"Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem,
cum accessor ultro? an potius ita me compararem
non perpeti meretricum contumelias?"

(4) Approbationem, ut Virgilius III° *Aeneidos* (4, 15-19):

"Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
ne cui me uinco uellem sociare iugali,
postquam primus amor deceptam morte fefellit,
si non pertaesum talami taedaeque fuisset,
huic uni forsani potui succubere culpae",

fuisse nota et *forsan* dubitationis aduerbium et *potui* possibilitatis uerbum cum infinitiuo posuit, pro quibus sufficeret *si* subiunctiuum posuisset *hoc uni succubuissem culpae*. (5) Docuit igitur poeta, quae sit uis subiunctiuus possibilitatem significantis. Idem in eodem (Verg. *Aen.* 4, 24-25):

"Sed mihi uel tellus optem prius ima
dehiscat, ante, pudor, quam te uiolem",

optem affirmatiue dixit; in eodem (*Aen.* 4, 291-92):

"Sese interea quando optima Dido
nesciat et tantos rumpi non speret amores",
nesciat et non speret affirmatiue dixit. (6) Cicero in principio *Verrinarum* (1, 1): "Si quis uestrum, o iudices, aut eorum qui assunt, forte miratur me, qui tot annos in causis iudiciisque publicis ita sim uersatus, ut defenderim multos, lesisse neminem", dixit non dubitans sed approbans.

»[12] Sciendum tamen quod tam *ut* coniunctione causali quam *si* consequentibus uel antecedentibus cum uerbis subiunctiuis etiam antecedentia uel sequentia frequentissime per subiunctiuum modum proferre solent Romani, et maxime *qui* adiuncto uel *quae* uel *quod* rationem colligentes uel dubitationem ostendentes, ut *rogabam ut te ostenderes qui fueris*, et *placebas si diceris quod feceris*. (2) Quod per *ara* coniunctionis additionem solent Graeci significare, Virgilius in VI^o (*Aen.* 6, 161-62):

"Quem socium exanimum uates, quod corpus humanum
diceret"».

[13] Consequenter idem Priscianus in eodem secundo minoris (18, 94-96) exempla multa subdit, in quibus subiunctiuus modo interrogatiue, modo dubitatiue, modo affirmatiue mediante *si* uel *ut* uel *quod* accipitur.

[14] Et infra (Prisc. 18, 96): «Si ergo, quod illi solent, et per indicatiuum et per optatiuum addentes *an* coniunctionem Graecam, nos subiunctiuis per se positis solemus demonstrare: *docuissem, si discere uoluisses*, id est *poteram docere*, similiter *docerem si discere uelles*, id est *docere poteram*; (2) et praeteritis quidem temporibus utentes ostendimus rem, quae potuisset esse facta, non esse factam, praesenti uero uel futuro subiunctiuui utentes in huiusmodi constructione ostendimus, posse fieri aliquid, nisi quid impendiat, ut *doceam, si uelis, id est possum docere si uoluntas tua non impendiat*. Similiter in futuro *docuero si uolueris*, id est *potero docere si uolueris*.

»[15] Illud quoque sciendum, quod, quotiens paenitere nos rei non factae demonstrare uolumus, subiunctiuo utimur, ut Virgilius in 4^o *Aeneidos* (4, 604-606):

"Faces in castra tulussem
impleremque focos flammis natumque patremque
extinxissem memet super ipsa dedissem",

(2) id est *cur faces in castra non tuli, quod debui facere? Cur non impleui focos flammis? Cur non natum patremque extinxi? Et me met super ipsa dedi?* Potest tamen et hoc possibilitatis esse. Ostendit enim se potuisse, nisi demens fuisset, hoc facere, ideoque se poenitere».

[16] «Tamen (Prisc. 18, 101) et praeterito plusquamperfecto praeteritum imperfectum coniungere et praesenti praesens uel futuro solent, uel praeterito, ut *fecissem nisi impedires*, et econtrarius *facerem, nisi impedisses*, et *faciam, nisi impedias* et *nisi impedieris*, et *fecero nisi impedias* et *nisi impedieris*, Virgilius in 2^o (*Aen.* 2, 596-97):

"Non prius impedias ubi fessum aetate parentem,
liqueris Anchisen";

(2) et infra (*Aen.* 2, 600):

"Iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis"

pro *poterant tulisse* et *poterat hausisse*; Oratius in *Arte poetica* (47):

"Dixeris egregie",

id est *poteris dicere egregie*. Frequentissime tamen auctores utuntur subiunctiuis confirmantes etiam praeterito tempore res perfectas».

[17] Posthac Priscianus exponit (18, 102) «Subiunctiuum ad futuram cognitionem intelligi, cum subiunctiuum etiam temporis praeteriti, quomodo optatiuum, futuri uim habeant. Indeque apud Ciceronem in *Verrinarum* principio (1, 1): "Ita sim", pro *ita inueniar* uel *cognoscar*, cum et auctores futuro indicatiui in ipsa significatione utantur, Lucanus in I^o (1, 30-31):

"Nec tu Pirrhe ferox, nec tantis cladibus
auctor plenius erit",

erit dixit pro *cognossetur* uel *dicitur*. (2) Et *ut* causalis et quandocumque pro ea ponuntur, omnibus temporibus subiunctiuo adiunguntur eisque licet et indicatiuum et subiunctiuum antepone uel subiungere, ut *doces ut proficias* et *doceas ut proficias*; *docebas ut profices* et *doceres ut proficeres*, et sic de aliis temporibus. (3) Sed indicantes rem quae sit, indicatiuis utimur, subiunctiuus uero quod debuit fieri, magis suasoriae ostendentes. Imperatiuum quoque et optatiuum subiunctiuis, *ut* mediante similibusque coniunctionibus, possunt adiungi, ut *lege ut discas, utinam discas ut doceas*.

»[18] Et pro imperatiuis frequenter auctores subiunctiua ponunt, ut Terentius in *Andria* (305-306):

"Quaeso, Edepol! Carine, quoniam non potest id fieri, quod uis, id uelis quod possit";

idem in *Phormione* (69-70):

"Desinas
sic est ingenim mulierum",

pro *desine*».

[19] Subinde Priscianus (18, 110) docet auctores subiunctiuis affirmatiue fuisse usos et his saepenumero multaue exempla subiungit: «Et *si* praeposita subiunctiuum subiunctiuo coniuxit Cicero in *Praetura urbana* (Verr. 2, 56, 148): "Quod si tanta pecunia columnas dealbari putassem, certe nunquam aedilitatem petissem". (2) Et quoque omnibus subiunctiui temporibus pro optatiuo usos fuisse scribit, et poetas metricae causa indicatiuos saepe pro subiunctiuis posuisse, ut Oratius in 2^o *Carminum* (2, 17, 27-28):

"Me truncus illapsus cerebro
sustulerat",

pro *sustulisset* posuit».

[20] Nec quisquam admirari uelit quod tanta quasi digressionem ad temporum imperatiui modi, etiam secundum Graecos, et officiorum significationisque modorum explanationem fecerim. Ad hoc enim commotus fui, praeterea quod haec materia in meo *Elegantiarum breuiario*, libro III^o, capitulo XXXII^o, ubi multa ad rem de qua agitur spectantia declarantur et paulo post dicenda in principio sit adiecta. (2) Deinde quod ad maiorem cognitionem pronominum et huius nominis *quis* uel *qui* et aliorum octo secundum formam secundae declinationis pronominis declinatorum et aduerbiorum coniunctionum praepositionumque abinde profluentium similiumque de quibus in praesentiarum disseruit, non parum facit. Insuper haec ipsa materia sit perutilis perque necessaria tam auctorum intelligentia quam orationi et solutae et metricae conscribendae.

XLIII. De uariis iubendi modis.

[1] Iam ad materiam ipsius capituli XXXII, ubi Laurentius et ego dispungimus quot modis iubemus et quid inter praeteritum futurumque coniunctiui intersit, ueniamus: «Ergo his quattuor pene indifferenter utimur: *ueni ad me, uenito ad me, uenias ad me, uenies ad me, scribe, scribito, scribis, scribes. Horum tantum uno in negatione: ne uenias*, et altero quo in affirmatione non utimur, in hunc modum: *ne ueneris*. (2) Nam ipsum ueneris duobus modis accipitur, uno subiunctiue, ut *si ueneris* uel *cum ueneris*, altero sine subiunctione. Ideo illud non est uerbum principale, hoc est, ut *si me iuueris rem optimam feceris, dimitte me et diuitem feceris, eamus in portum, iam naues uenerint*. (3) Sciendum tamen est quod haec omnia uerba futuri sunt temporis, ueluti si ita commutemus, *si abstulero huic filiam meam, eum ingulauero*, non autem *ingulauerim; ego hoc uidero, tu uideris, uos uideritis*, quasi *ego hoc uidebo* uel *uideam, tu uidebis* uel *uideas*. (4) *Ne ueneris* futuri est temporis, *non ueneris* praeteriti, illud uetat, hoc negat, quod secundum est commune cum prima persona et tertia, ut *neque uero crederim neque uero fuerim in ea opinione, qua ceteri*; et sine negatione, *improbe dixerim, dixerit aliquis*. (5) *Non ueni, non fac, non iugula*, apud oratores fere nunquam, sed apud poetas, Virgilius (*Aen.* 6, 544):

"Ne saeui magna sacerdos";

et Terentius (*And.* 348):

"Ne nega";

Liuius libro secundo (3, 2, 10): "Ne timete"; et Quintilianus (1, 7, 9): "Ne relinque"; hic nos Quintilianus admonet ne pro illa *ne feceris* dicamus *non feceris*, quia alterum negandi est, alterum uetandi. (6) Ideoque *ne* cum prima singularis numeri nunquam coniunctum inuenimus ob eandem causam propter quam imperatiuum caret prima persona in singulari, quia nemo sibi soli aut imperat aut uetat. Vnde frequenter legimus *me timerimus, ne timeant*, nunquam autem *ne timeam*, nisi *ne* pro *ut* et *non*, sed *non timeam, non ausim, non sperem, non timerim*, id est timere, audere, sperare non possum aut non debeo. (7) Ita in aliis personis, ut *non expectes*, id est expectare non debes, sed uetando *ne me expectes*. Ita *non expectaueris* et *ne expectaueris*, quorum alterum praeteriti temporis est negatque, alterum futuri, et uetat».

[2] Nec ad horum intelligentiam plenior super *ne* et *non* et *omnino* super abnegatiuis aduerbiis Priscianum praetereas, qui in XV^o, post principium (15, 2) scite sic inquit: «*Ne* cum est dehortatiuum, indicatiuo non adiungitur, sed uel imperatiuo, ut Virgilius in VI^o (Aen. 6, 95):

"Tu ne cede malis, sed contra ardentior ito";

(2) uel optatiuo, ut Terentius in *Phormione* (157):

"Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset";

aut subiunctiuo, ut idem in *Adelphis* (3, 3, 21):

"Ne dicam dolo";

aut infinito, ut Cicero in *Inuectiuis* (*Cat.* 3, 10, 24): "Ne dici quidem opus est quanta diminutione ciuium". (3) Et infra (Prisc. 15, 3): «*Non* uero imperatiuo proprie adungi non potest nisi in compositione *noli*, apertissime autem indicatiuo associatur uel subiunctiuo uel optatiuo».

[3] Idem in XV eodem, carta penultima (15, 32): «Abnegatiuum est, ut *non*, *haud*, *nunquam*, *minime*. Sciendum tamen quod etiam aliae partes accipiuntur pro aduerbiorum diuersis significationibus, et est quando duae pro una, ut *nullomodo*, *nullatenus*, quomodo et aduerbia loco nominum posita inuenimus, ut Virgilius in VII^o (Aen. 7, 204):

"Sponte sua";

(2) similiter (Verg. Georg. 3, 325):

"Et mane nouum";

et Salustius in *Catilinario* (5, 4): "Satis eloquentiae sapientiae parum".

XLIV. De si non et nisi.

[1] Illud quoque arbitror adiungendum, quod Laurentius et ego in sequenti capitulo de lepore *si non* et *nisi* cum aliis tum uerbis, tum uero *mentior*, scribimus hoc modo: «Hoc quod adhuc de negatione subiiciam ad solam elegantiam dicendi pertinet, quod quale sit, subiectis exemplis, per se aparebit, Quintilianus (*Decl.* 2, 8, 8): "Non est difficile, ut maritum uxor occidat, si non est difficilius, ut filius patrem"; (2) idem (*Decl.* 6, 12): "Atque eo causam dimittimus ut non sit absoluendus adolescens nisi etiam laudandus"; idem (*Decl.* 6, 3): "Mentior, nisi cum peregrinatio mea nos diduceret, maluit esse cum matre"; et iterum (*Decl.* 6, 19): "Assidere enim, cibos ministrare, manum porrigere quilibet poterat mentior, nisi factum est". Idem uerbum apud Ambrosium eodem modo positum tum in libris *Officiorum*, tum in *Hexameron*² (5, 16, 54), tum in aliis reperies».

[2] Nec praetemitendum puto quod Laurentius et ego in eodem libro III^o, capitulo LVIII^o, super decoro *nisi quam* et *praeterquam* exponimus: «*Quid est enim animal* -edocemus- *nisi corpus cum anima concretum*, recte et latine dici. *Quid est animal quam corpus cum anima concretum, non recte.* (2) *Adde aliud* uel *aliter* uel *secus* et utroque modo licebit dicere: *Quid est aliud animal quam corpus* uel *nisi corpus cum anima concretum*, Cicero (*De sen.* 5, 12): "Quid est aliud Gigantum more bellare cum diis nisi naturae repugnare?" (3) Idem comparatiuum faciet, ut *quid est melius quam gaudere* uel *nisi gaudere?*, ut Quintilianus (4, 2, 66): "Nihil est facilius nisi totam causam omnino non agere". *Praeterquam* eandem aut prope parem uim obtinet quam *nisi*, cuius exempla ut facilia praeterrmittimus. (4) Vnum illud admonemus, ubi est *praeter*, ibi locum habere *praeterquam* ad hunc modum, ut *nullius rei sum auarus praeter laudem*, uel *praeterquam laudis, nulli places praeterquam mihi*, uel *praeter me*. (5) *Ab* cum duabus liquidis et cum *-i-* quando consonans fit, ut *ab lege, ab legatis, ab litteris, ab rege, ab rogo, ab re, ab Ioue*. *Abs* uero cum *-t-*, ut *abs Tito*, interdum cum *-q-*, ut Terentius (*Ad.* 254):

«Abs quis beneficium accipere grauatum est».

(6) Haec Laurentius libro II *Elegantiarum*, capitulo XXIX, scribit et Nicolaus Perottus in capitulo *De componendis epistolis*, § *Quid interest inter litteras et epistolas*, carta 99 (fol. n1u.), commemorat, et adiungit: «Cum ceteris uero iungitur *-a-*, ut *a nobis, a foro*», et omnia in meo *Elegantiarum breuiario*, libro 2^o, capitulo 29, dico.

² Glossa: *Hexameron* componitur ab *hexa*, quod est *sex*, et *meros*, quod est *dies*, inde *Hexameron*, id est liber sex dierum.

XLV. De alter et alius.

[1] Quoniam satis et plusquam satis de partibus indeclinabilibus a pronomibus declinationis secundae nominibusque eandem declinationem sequentibus deriuatis uel compositis, quod latinitatem bonam disserui, tempestiuum est ut ad nonnullorum exemplis nominibus latinitatem pulchram secundum nostri *Elegantiarum breuiarii* ordinem transitum faciam, ut nihil ad rem, de qua agitur, explanandam elegantemque reddendam praetermissum uideatur. (2) Laurentius Vallensis igitur et ego post eum in ipso *Elegantiarum breuiario*, libro III, capitulo LXIII°, de *alter aliusque* sic praecipimus: «*Alter* de duobus dici, *alius* de multis notum est omnibus, licet non omnes recte utantur, ut de Macrobio, Suetonio Plinioque habetur ibi, quare nonnunquam maximorum uirorum auctoritate haec alternare sit permissum. Item *alius*, -a, id est *diuersus*, -a, ut *alia est facies mea, alia tua, id est diuersa*. Proprie igitur *alter* ad unum refertur de duobus, ut *Hannibal in transitu Apenini amisit alterum oculum*. (3) Aliquando *alter* pro secundo ex duobus pluribusue accipitur, ut *unus, alter, tertius, quartus, unae, alterae, tertiae quartae litterae*. Et *hic est alter annus belli Punici, ego altero mense repudiani uxorem*, id est secundus annus ab origine belli et secundo mense a ductione uxoris. Aliquando pro ipsis duobus, ut *unus aut alter*, id est *unus aut duo, unus et alter*, id est *unus et duo*. (4) Quod etiam in aduerbiis respondet *semel* aut *iterum*, id est *semel* aut *bis*, idem *semel* et *iterum*. Dubitari tamen potest cum dicitur *iterum consul*, an secunda uice an bis consul intelligatur, quae dubitatio in ceteris non erit. (5) *Tertium enim consul* et *quartum consul* sic differt ab illo *ter consul* et *quater consul*, quod in altero significatur tertia et quarta uice, in altero tribus et quattuor uicibus. Aliquando tamen dubitarent an in hanc significationem *uice* et *uices* reperiatur».

XLVI. De quisque et uterque cum uerbo aut participio.

[1] De *quisque* et *uterque* cum uerbo aut participio in sequenti capitulo sic docemus: «*Irundines, uere ineunte, redeunt in suum pristinum unaquaeque nidum migrantes*, muta illud *unaquaeque* sic: *in suum pristinum nidum unaquaeque immigrantes* aut sic: *unaquaeque in pristinum nidum immigrantes*, iam non erit latinum. (2) Item *offendi parentes suo utrunque morbo affectos*, transfer illud *utrunque*, ut modo ostendi, iam non erit elegans. Nam si ita mutemus, ille pluralis numerus *immigrantes* et *affectos* referetur ad illum singularem *unaquaeque* et *utrunque*, quod fieri non potest. (3) At illo modo superiore secus, refertur, enim numerus pluralis ad pluralem sic: *irundines, uere ineunte, redeunt immigrantes in nidos pristinios unaquaeque, in suum supple migrans; offendi parentes morbis affectos, utrunque suo supple affectum morbo*; Virgilius in XII° (*Aen.* 12, 524) :

"Dant sonitum spumosi amnes et in aequora currunt
quisque suum populatus iter",

ubi si uersus pateretur, non decuisset sic dicere sed *populati*. (4) Secus autem solet fieri, ubi abest *suus* aut *se*, ut Quintilianus (*Decl.* 5, 21): "Commendo tibi senem, quem facimus uterque medicum"; nec recte dicas *commendo tibi senem quem nos filii alleuare debemus eum uterque medicum facientes* uel sic: *quem nos uterque captiui medicum facimus*, nisi more poetico, ut apud Ouidium (*Rem. Am.* 711):

"Vtraque formosae, me iudice, sunt uenerandae";

(5) et apud Oratium (*Sat.* 1, 5):

"Legati magnis missi de rebus uterque".

Quod apud oratores non reperitur, sicut ne illud quidem, licet Aulus Gellius utatur, quale apud Terentium (*And.* 55):

"Quod plerique omnes faciunt adolescentuli",

quod quidam exponunt pro eo quod est *plerique omnium*, quidam pro eo quod est *omnes*».

XLVII. De tamen et sed cum relatiuo.

[1] De *tamen* et *sed* cum relatiuo eodem libro, capitulo LXV°, enucleamus hoc modo: «*Homo illiteratus est, cui tamen paucos in rerum gerendarum scientia anteponas*, latinum est; *homo illiteratus, sed cui paucos anteponas*, etiam elegans est. Item in negatione hoc quidem *illiteratus quem tamen non postponas multis*. Ideo dixi *elegans*, quia subintelligitur *talis*, quod in alio non fit, ut *sit homo illiteratus, sed talis quem* et cetera. (2) Vel *sed is* pro *talis*, ideoque et hoc eleganter dicetur *homo illiteratus non tamen quem multis postponas*. Aliquando non subintelligitur *talis* neque *is*, ut *hic ager est meus, sed cuius usu careo*». *Hic* quoque secundum Seruium pro *talis* accipitur, Virgilius in primo *Aeneidos* (1, 253):

"Hic pietatis honos?"»

[2] Nec modo secundum antedictam et *hic* et *hoc* pro *talis* accipitur, sed et *hic* pro *huiusmodi* secundum Petrum Heliae in primo minoris, post medium, ubi de secunda pronominum proprietate (Reilly 964). Dicit enim ibi: «Secunda pronominum proprietate est demonstratio et relatio, demonstratio est oculis uel intellectui certa rei representatio, nam demonstratio alia ad oculum, alia ad intellectum. (2) Demonstratio ad oculum dicitur fieri quando res, ut sensui subiecta, demonstratur et caeco res quasi oculis subiecta demonstratur. Demonstratio uero ad intellectum fit quotienscunque res intellectu solo comprahenda demonstratur. (3) Quaeritur cum dicitur *hoc metallum aurum preciosius est omni metallo* utrum ad oculum uel ad intellectum fiat demonstratio. Si ad oculum esset, palam fieret falsum esse, ergo ad intellectum, sed non propter rei incorporitatem, quia corporeum quod demonstratur, ergo propter rei absentiam. De absente ergo uerum est, quod fit dignius omni metallo, eadem ratio est de huiusmodi locutionibus. (4) Haec res, *hic homo est hic et Romae*, ad quod dicunt quidam rem incorpoream demonstrari, quia maneriem uel quod melius est, abusiue ponitur pronomen, ut sit sensus *hoc metallum*, id est huiusmodi metallum, et *hoc*, id est huiusmodi res. Et similiter erit demonstratio ad rem incorpoream quemadmodum corpoream».

XLVIII. De id quod. De aliquis, quisquam, quispiam, ullus et de differentia inter ipsos.

[1] Consequenter in capitulo LXVI^o de *id quod* cum alio antecedente disserimus: «*Video te amatorem studiorum, quod me maxime iuuat* uel *quae res me maxime iuuat* uel *id quod me maxime iuuat*, uel *uideo te, quod me maxime iuuat* uel *quae res me maxime iuuat* uel *id quod me maxime iuuat, amatorem studiorum*».

[2] Item de *aliquis, quisquam, quispiam, ullus* et de differentia inter ipsa uide per Priscianum primo minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Inter aliquis et nullus* (17, 45), et supra eodem libro, § *Priscianus primo minoris*, uersiculo *Inter aliquis et aliquid*, Laurentius et ego scribimus *De elegantius*, libro III^o, capitulo XVIII^o, in fine: «De differentia autem inter *quidam* et *aliquis* siue *quispiam* siue *quisquam*, quod illud certum hominem, hoc ununquenuemlibet significat». (2) Posthac in eodem libro, capitulo LXVII, disseritur: «*Aliquis, quisquam, quispiam, ullus* idem significant, differuntque a *quidam*, ut in opere *De dialectica* ostenditur. *Vllus* tamen quodammodo claudicat, nec fere citra negationem quasi citra baculum ingredi potest nisi interrogatiue, ut *uocat me ullus?* aut subiunctiue, ut *si ullus me uocet*; nunquam plane affirmatiue, sicut illa superiora».

XLIX. De solus et unus.

[1] Posthac in eodem libro, capitulo LXXI^o, de *solus* et *unus* latinitatem declaramus: «Inter omnia adiectiua, quae superlatiua non sunt, duo fere haec *solus* et *unus* more superlatiuorum genitium regunt, ut "Solus omnium non remittit sibi, ut incredibilior sit in parricidio caecus, quam fuit, cum uideret", haec Quintilianus (*Decl.* 2, 1); et Plinius (9, 60): "Accipenser³ unus omnium scamis ad os uersis, contra aquas natando meat". (2) Similiter ablatium cum praepositione, nam, ut dicimus *ex omnibus maximus* et *inter omnes maximus*, ita *unus* et *solus ex omnibus* uel *inter omnes*. Verum *unus* pro *solus* accipio. (3) Ideoque fere cum illo adiectiuo *omnis* tantummodo coniungitur. Nam *unus ex fortibus*, *unus ex populo*, alterius significationis est. Cum substantiuis quoque iungitur, ut idem Plinius (11, 131): "Caluicium uni tantum animalium homini", sed quasi subintelligatur *omnium*».

[2] Tandem ad hoc confirmandum *Doctrinale* in capitulo nono (9, 1.435) adiicio:

«*Solius* est generis adiectiuum uariatque cum numero casuum, uelut *haec uenit una sororum*, *est inter fratres bonus ac de fratribus unus*».

[3] De secunda pronominum declinatione et non modo pronomibus, sed et nominibus eam obseruantibus, et de partibus indeclinabilibus abinde deriuatis et compositis, etiam quod latinitatem bonam plene et utiliter diximus. Deinceps de tertia declinatione dicemus.

³ *Accipenser*. *Accipenser* piscis est in primis nobilis difficillimusque inuentu, ut perraro capiatur, et ideo Plinius Secundus in libro *De naturali historia* (9, 60, 1) miratur quod suis temporibus in nullo honore esset, cum ita uix inueniri possit. Sed quod ait Plinius de accipenseris scamis, id uerum esse maximus rerum naturalium indagator, Hegidius Figulus, ostendit in eius libro *De animalibus* 4^o. Ita positum est: «Cum alii pisces scama secunda accipenser aduersa sit», ex Macrobio *De Saturnalibus* (3, 16, 7) excerpti.

L. De tertia declinatione.

[1] Tertia igitur pronominum est declinatio, quae instar primae secundaeque declinationis nominum, genituum in *-i*, in *-ae* et in *-i*, et datiuum in *-o*, in *-ae* et in *-o* facit, ut nominatiuo *meus*, *-a*, *um*, genituo *mei*, *-ae*, *-i*, datiuo *meo*, *-ae*, *-o*, et secundum hanc quinque pronomina declinantur: *meus*, *tuus*, *suus*, *noster* et *uester*.

[2] De hac uero declinatione tertia per Priscianum in XIII^o, carta III^a (1, 16), ubi notanter ait: «Notandum tamen quod *meus*, cum secundum analogiam uocatiuum debere facere *o mee*, eufoniae causa duas *-e*- breues in *-i* longam conuertit».

[3] Quod autem *suus* uocatiuum iuxta Laurentii Vallensis (*De rec.* 13) sententiam habere possit, ut *sue*, *sua*, *suum*, in singulari et *sui*, *suae*, *sua* in plurali, in eius opusculo *De sui et suus reciprocatione*, in capitulo *Suus uocatiuo non carere*, habetur apertissime, et ego supra, in epistola magna, sub XIII^a refero ratione, uersiculo *Quod si usus* (*De sui*, 114), quem notare uelis. Et de hac tertia declinatione per *Doctrinale* in fine primi capituli (1, 361):

«Tertia per primam fit nominis atque secundam;
has tres Donatus (2, 11) distinguit sufficienter».

LI. De quarta declinatione.

[1] Quarta declinatio pronominis est quae ad tertiae nominis similitudinem genituum in *-is* et datiuum in *-i* facit, ut *hic* et *haec*, *nostrás*, genituo *nostrátis*, datiuo *nostráti*, *hic* et *haec* *uestrás*, genituo *uestrátis*, datiuo *uestráti*.

[2] Quaerit autem Priscianus in XII^o, carta 2^a (12, 8): «Cur *nostrás* et *uestrás* a plurali tantummodo deriuantur? Ad quod respondendum quod patriam seu gentem significant, patria autem uel gens unius esse non potest, sed semper multorum possessio. Itaque *nostrás* dicimus, qui est a nostra patria uel gente, quam multi possidemus, hoc est tam mea quam meorum ciuium.

[3] Idem Priscianus in primo minoris, carta 36, § *Quaerit cur pronomina* (17, 142), id confirmando dicit: «Dicendum quod ideo a solis pluralibus fiunt, quod patria ad plures pertinet, non ad unum».

[4] Per hanc autem declinationem ea duo sola pronomina *nostrás* et *uestrás* declinantur, quam *cuiás* gentile quoque et patrium sequitur, quod antiqui *cuiatis* in nominatiuo, ut et *nostratis* et *uestratis* proferre solebant. (2) Vnde Priscianus dicit in XII^o (12, 29): «Cuius gentile non solum *cuiás* sed etiam *cuiátis* proferebant, communi genere, Plautus in *Poenulo* (5, 2, 33-34):

"Qui sit, cuiatis, unde sit, tu parseris

quid est? cuiatis estis, unde aut quo ex oppido?"

-pte quoque eadem sola assumere solent *meapte*, *tuapte*, *suapte*, *nostrapte*, *uestrapte*».

[5] Idem Priscianus I minoris, carta 36, § *Quaeritur cur pronomina*, uersiculo *Et quemadmodum* (17, 142-43), sic inquit: «Et quemadmodum pronomina quae finita sunt, habent et patria et possessiua, ut *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *uester*, *nostrás*, *uestrás*, sic etiam nomen infinitum *quis* uel *qui* habet apud nos non solum patrium *cuiás*, quomodo apud Graecos, sed etiam possessiuum *cuiús*, *cuiá*, *cuiúm*. (2) Sed masculinum in fine acuitur differentiae causa. Quod autem tam interrogatiua quam relatiua esse possint, quomodo et primitiua, eorum usus approbat, Virgilius in *Bucolicis* (3, 1) interrogatiue protulit:

"Dic mihi, Dameta, cuium pecus? an Moelibei";

Terentius in *Eunucho* (321):

"Quid uirgo, cuiá est?";

idem in *Andria* (932):

"Quid eam? suamne esse dicebat? an cuiam igitur?";

Cicero uero in *Verrinis*, *De praetura urbana* (2, 1, 51, 142), relatiue posuit haec eadem: "Cui res est, cuium periculum". Et necesse est ea omnibus grauari syllabis, quando sunt relatiua, quomodo et primitiua eorum relatione significantia».

[6] *Catholicon* haec confirmat adiciensque subiungit: «*Cuiás* a *cuiús*, *-á*, *-úm* deriuatur, *hic* et *haec* *cuiás*, *-atis*, interrogatiuum, possessiuum, relatiuum, gentile, patrium. Et habet quaerere de gente uel de patria, tamen simul non potest quaerere de utroque ad quod possunt responderi ista duo pronomina *nostrás* et *uestrás*, ut *cuiás est iste?*, (2) *nostrás*, id est de nostra gente uel patria, uel quod pronomina gentilia uel patria, ut *Romanus*, *Italicus* uel per specificatam gentem uel patriam positam in ablatiuo cum hac

praepositione *de*, ut *cuiás est iste? de Tuscia, de Bononia*. (3) Et circumflectitur cum *-iás* in fine, quia olim dicebatur *hic et hac cuiátis*, et *hoc cuiáte*, quia penultima circumflectebatur».

[7] *Cuius*, *-a*, *-um* deriuatur a genitio *cuius* et differt ab eo quia *cuius*, *-a-um* est possessiuum et acuitur in fine et in tribus cum substantiuo concordare tenetur, ut Virgilius in *Bucolicis* (3, 1):

«Dic mihi, Dameta, cuium pecus? an Moelibei?»

sed genitiuus non acuitur in fine nec praedictam conformitatem exigit. (2) Et secundum usum declinatur nominatiuo *cuius*, *cuiá*, *cuium*, accusatiuo *cuium*, *-iam*, *cuium*, ablatiuo *a cuiá*. (3) Et non habet plus in usu et est infinitum, interrogatiuum, relatiuum et possessiuum. Item ad interrogationem factam per *cuius*, *-a*, *-um* debent respondi nomina uel pronomina possessiua uel genitiuus specificans possessorem, ut *cuium est mancipium?* respondetur *Petrinum, meum, mei, Martini*. Item scias quod *cuiá* feminino genere et *cuium* neutro genere acuuntur in fine propter consortium *cuius* masculini, quod in fine acuitur.

[8] Secundum uero Laurentium Vallensem et me, libro secundo, capitulo III^o: «*Nostrás, uestrás* et *cuiás* non tantum patriam nationemque, sed etiam partes et quasi sectam significant, ut *uestrates philosophi non sunt ita populares ut nostrates, qui ab Epicuri schola prodierunt*, et *cuiates philosophi uos est? ne an achademici, an peripatetici, an nostrates Epicurei?*».

[9] Nec Festus Pompeius omittatur dicens (Non. 81, 34): «*Cuiá* pro *cuius*, Lucanus libro XXX (Lucil. *Sat.*: 30, 1069)

"*Cuiá* opera Troginus calix per castra cluebat"».

[10] Nonius uero Marcellus (92) ait: «*Cuiás*, Cicero *Tusculanarum* libro V (5, 108): "Socrates quidem cum rogaretur cuiatem se esse diceret 'mundanum', inquit". «*Cuius* et *cuiatis* idem significant, Actius in *Telepho* (625):

"Qui neque cuiatis essent, unquam potuimus,
multa rogitantes scire"».

[11] De hac declinatione quarta uide in XIII^o Priscianum et *Doctrinale* in primi fine capituli (1, 363),

«Quarta quidem terne par debet nominis esse»,
et utrobique scribentes.